


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/


UC-NRLF
B 3 931 813





DE AIACIS ORIGINE, CULTU, PATRIA

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM

Litt. hum. doct.

ACCEDUNT COMMENTATIONES TRES

DE AMAZONIBUS, DE CARNEIS, DE TELEGONIA.



LUGDUNI BATAVORUM

APUD A. W. SIJTHOFF.

MDCCCCVII.

Apud A. W. SIJTHOFF Lugduni Batavorum (Leiden) prodierunt:

Codices Graeci et Latini photographice depicti duce SCATONE DE VRIES Bibliothecae Universitatis Leidensis Praefecto.

Tom. I. Vetus Testamentum Graece. Codicis Sarraviani-Colbertini quae supersunt in Bibliothecis Leidensi, Parisiensi, Petropolitana phototypice edita. Praefatus est HENRICUS OMONT .... ligat. *f* 96.—

„ II. Codex Bernensis 363. Horatii carmina, Ovidii Met., fragm. Servii et aliorum opera grammatica, S. Augustini de dial. et de rhetor., Bedae Hist. Brit. I, cet. cet. continens. Praefatus est HERMANUS HAGEN .... ligat. „ 120—

„ III—IV. PLATO. Codex Oxoniensis Clarkianus 39. Praefatus est THOM. W. ALLEN. Partes II .... ligat. „ 240.—

„ V. PLAUTUS. Codex Heidelbergensis 1613 Palatinus C. Praefatus est CAROLUS ZANGEMEISTER .... ligat. „ 135.—

„ VI. HOMERI ILIAS. Codex Venetus A, Marcianus 454. Praefatus est DOM. COMPARETTI .... ligat. „ 186.—

„ VII. TACITUS. Codex Laurentianus Mediceus 68 I 68 II. Praefatus est ENRICO ROSTAGNO. Partes II, ...ligat. „ 180.—

„ VIII. TERENTIUS. Codex Ambrosianus H. 75 inf. Praefatus est E. BETHE .... ligat. „ 120.—

„ IX. ARISTOPHANES. Codex Ravennas 137, 4, A. Praefatus est J. VAN LEEUWEN J.f. .... ligat. „ 135.—

„ X. DIOSCURIDES. Codex Vindobonensis Med. Gr. I. Praefati sunt A. DE PREMERSTEIN, C. WESSELY, J. MANTUANI. Partes II .... ligat. „ 366.—

De codicis Dioscuridei Vind. Med. Gr. I historia etc. scripserunt A. DE PREMERSTEIN, C. WESSELY, J. MANTUANI (accedunt tabulae III).... „ 10.—

Supplementum I. Hieronymi Chronicorum codicis Floriacensis fragmenta. Praefatus est L. TRAUBE.............................. „ 13.20

Supplementum II. Les Miniatures du Psautier de Saint Louis. Avec une préface de H. OMONT .... „ 9.60

Supplementum III. Der illustrierte Lateinische Aesop. Mit Einleitung und Beschreibung von G. THIELE.............................. „ 19.80

Prof. J. van Leeuwen J.f. et **Dr. M. B. Mendes da Costa**

Homeri Carmina cum prolegomenis et annotatione critica.

Iliadis Pars I. (Accedunt tabulae quinque). Editio tertia......... „ 1.60

Pars II. Editio tertia.................................. „ 1.60

Iliadis editio minor. Pars I.................................. „ 1.30

Pars II. .... „ 1.30

Odyssea. Editio secunda. Partes II .... „ 3.—

——— Het taaleigen der Homerische Gedichten. 4e druk .... „ 1.80

——— Attische Vormleer. 6e druk .... „ 2.20

Dr. M. B. Mendes da Costa, Index etymologicus dictionis Homericae. „ 5.90

DE AIACE. — DE AMAZONIBUS. — DE CARNEIS. — DE TELEGONIA.

DE AIACE.

DE AIACE.

Ich halte jetzt die Ansicht dass Aias eine rein dichterische Schöpfung ohne mythischen Hintergrund sei (Gesch. d. Alt. II § 132, 160), nicht mehr für richtig, sondern glaube, dass auch die Sagengestalten der beiden Aias ursprünglich einem Cultus entstammen.

Ed. Meyer, Hermes '95.

I. De Aiacis ἀτρωσίᾳ apud Pindarum.

Aloisius Rzach cum ante quattuor annos Hesiodi editionem maiorem ederet, in fragmentis disponendis a Magnis Eoeis distinxit Catalogum cum Eoearum reliquiis. Neque iniuria fecisse videtur, licet intricatior sit quaestio, de qua satis habebimus lectores referre ad ea, quae ipse Rzach in medium tulit necnon ad Leonis Hesiodea in Indic. aest. Gött. edita anno 1894.

Annumeratur autem Magnis his Eoeis fragmentum, quod accuratius rem inspicientibus iustam, ni fallimur, movebit mirationem. Sed cum petitum sit e scholio ad Pindari Isthm. VI, 53, praestat ab ipso Pindari argumento initium facere.

Telamonem invitaturus Troianae expeditionis particeps ut fiat Salaminem venit Hercules. Intrat domum ubi heroem cum amicis epulantem offendit. Statim poculum auro ornatum ab hospite ei porrigitur, quo accepto, pellem leoninam, qua amictus intraverat, humeris etiam tum gestans rogatus incipit has preces solemnes: „Iuppiter, utinam Telamonem dites filio tam tuto a vulneribus, quam Nemaei leonis sunt exuviae, quae humeros meos tegere solent!" Talia precanti Iuppiter aquilam mittit, quo

omine laetus: „nascetur tibi Telamo", Hercules exclamat, „filius optatus, quem ob aquilae faustum omen appelles nomine Aiacis."

Ab *αἰετοῦ* igitur derivatum esse Aiacis nomen putat Pindarus, cuius verba sunt:

ἀλλ' Αἰακίδαν καλέων
36 *ἐς πλόον ..... κύρησεν δαινυμένων.*
τὸν μὲν ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα κελήσατο νε-
κταρέαις σπονδαῖσιν ἄρξαι
καρτεραίχμαν Ἀμφιτρυωνιάδαν,
ἄνδωκε δ' αὐτῷ φέρτατος
οἰνοδόκον φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν Τελαμών,
ὁ δ' ἀνατείναις οὐρανῷ χεῖρας ἀμάχους
αὔδασε τοιοῦτον ἔπος· „Εἴ ποτ' ἐμᾶν, ὦ Ζεῦ πάτερ,
θυμῷ θέλων ἀρᾶν ἄκουσας,

νῦν σε, νῦν εὐχαῖς ὑπὸ θεσπεσίαις
λίσσομαι παῖδα θρασὺν ἐξ Ἐριβοίας
ἀνδρὶ τῷδε ξεινιόν μου [1]) *μοιρίδιον τελέσαι*
τὰν [2]) *μὲν ἄρρηκτον φυάν, ὥσπερ τόδε δέρμα*
με νῦν περιπλανᾶται
θηρός, ὃν πάμπρωτον ἀέθλων κτεῖνά ποτ' ἐν Νεμέᾳ·
θυμὸς δ' ἑπέσθω". ταῦτ' ἄρα οἱ φαμένῳ πέμψεν θεός·
ἀρχὸν οἰωνῶν μέγαν αἰετόν· ἁδεῖα δ' ἔνδον νιν
ἔκνιξεν χάρις,

εἶπέν τε φωνήσαις ἅτε μάντις ἀνήρ·
„Ἔσσεταί τοι παῖς, ὃν αἰτεῖς, ὦ Τελαμών·
καί νιν ὄρνιχος φανέντος κέκλευ ἐπώνυμον εὐ-
ρυβίαν Αἴαντα, λαῶν
ἐν πόνοις ἔκπαγλον Ἐνυαλίου".

Quomodo sint accipienda verba vs. 87: „*τὸν μὲν ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα*", nulli puto dubium erit comparato versu 47: „*ὥσπερ τόδε*

---

[1]) dubitanter recepi Schnitz. lect. [2]) *τάν* Heyne.

δέρμα με νῦν περιπλανᾶται". Valent nimirum „στάντα λεοντῇ ἠμφιεσμένον" (cf. Ol. IV, 22: χαλκέοισι δ' ἐν ἔντεσι νικῶν).

Quid autem scholiasta? Mirabundi legimus haec:

„τοῦτο ἰδίως. οὐ γὰρ ὁ Τελαμὼν ἐκέλευσε τῷ Ἡρακλεῖ ἐμβῆναι (sic!) τῷ δέρματι καὶ εὔξασθαι, ἀλλ' αὐτὸς ὁ Ἡρακλῆς τοῦτο κατ' ἰδίαν ἔπραξε προαίρεσιν. εἴληπται δὲ ἐκ τῶν μεγάλων ἠοιῶν ἡ ἱστορία. ἐκεῖ γὰρ εὑρίσκεται ἐπιξενούμενος ὁ Ἡρακλῆς τῷ Τελαμῶνι καὶ ἐμβαίνων τῇ δορᾷ καὶ εὐχόμενος. καὶ οὕτως ὁ διόπομπος αἰετός, ἀφ' οὗ τὴν προσωνυμίαν ἔλαβεν Αἴας."

Pindarus igitur scholiasta teste narrationem e Magnis Eoeis petitam proprio Marte mutavit. Poeta enim, cum epico in carmine legisset Herculem precantem sponte leonina in pelle stetisse, ἰδίως rem ita mutavit, ut Hercules Telamonis rogatu in pelle insisteret.

Duae res hic sunt observandae. Altera est, quod in scholio poetae verba: „τὸν μὲν ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα κελήσατο σπονδαῖσιν ἄρξαι", vertuntur quasi valeant: „ὁ Τελαμὼν ἐκέλευσε τὸν Ἡρακλέα ἐμβῆναι τῇ λεοντῇ καὶ οὕτως ἄρξασθαι τῶν σπονδῶν". Altera, quod perhibet scholiasta, Magnis quoque in Eoeis Herculem εὔξασθαι ἐμβάντα τῇ δορᾷ.

Scholiastam Pindari verba perperam vertisse quivis videt. Neque antiquitus defuisse, qui melius haec verba explicarent, patet e scholii verbis proximis:

ἔνιοι δὲ οὕτως ἀκούουσι· ἰδὼν ὁ Τελαμὼν τὸν Ἡρακλέα ἄφνω ἐφεστῶτα ἐν τῇ δορᾷ παρεκελεύσατο αὐτῷ ὡς ἧκεν ἐκ τῆς ὁδοῦ σπένδειν· τουτέστι μὴ ἀποθέμενον τὸ δέρμα, ἀλλὰ ὡς εἶχεν ἄρξασθαι τῶν σπονδῶν. ὡς ὅμοιον εἶναι τῷ· „Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε, Θέτις νύ τι σεῖο χατίζει."

Sapis sapientiam Aristarcheam. Intellegimus autem scholiastam, cui verus versuum sensus notus esset, non incautum falsam praemisisse explicationem. Quid igitur iudicandum de hominis observatione, quae ad Eoeas Magnas pertinet? Mentitusne est, quod perhibet in carmine epico Herculem institisse in pelle? An forte verum dixit, sed hac ipsa sapientia in Pindari loco explicando a vera via abductus est? Immo, qui ita aberravit

omine laetus: „nascetur tibi Telamo", Hercules exclamat, „filius optatus, quem ob aquilae faustum omen appelles nomine Aiacis."

Ab *αἰετοῦ* igitur derivatum esse Aiacis nomen putat Pindarus. cuius verba sunt:

ἀλλ' Αἰακίδαν καλέων
86 *ἐς πλόον ..... κύρησεν δαινυμένων.*
τὸν μὲν ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα κελήσατο νε-
κταρέαις σπονδαῖσιν ἄρξαι
καρτεραίχμαν Ἀμφιτρυωνιάδαν,
ἄνδωκε δ' αὐτῷ φέρτατος
οἰνοδόκον φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν Τελαμών,
ὁ δ' ἀνατείναις οὐρανῷ χεῖρας ἀμάχους
αὔδασε τοιοῦτον ἔπος· „Εἴ ποτ' ἐμᾶν, ὦ Ζεῦ πάτερ,
θυμῷ θέλων ἀρᾶν ἄκουσας,

νῦν σε, νῦν εὐχαῖς ὑπὸ θεσπεσίαις
λίσσομαι παῖδα θρασὺν ἐξ Ἐριβοίας
ἀνδρὶ τῷδε ξείνιόν μου [1]) *μοιρίδιον τελέσαι*
τὰν [2]) *μὲν ἄρρηκτον φυάν, ὥσπερ τόδε δέρμα*
με νῦν περιπλανᾶται
θηρός, ὃν πάμπρωτον ἀέθλων κτεῖνά ποτ' ἐν Νεμέᾳ·
θυμὸς δ' ἑπέσθω". ταῦτ' ἄρα οἱ φαμένῳ πέμψεν θεός·
ἀρχὸν οἰωνῶν μέγαν αἰετόν· ἁδεῖα δ' ἔνδον νιν
ἔκνιξεν χάρις,

εἶπέν τε φωνήσαις ἅτε μάντις ἀνήρ·
„Ἔσσεταί τοι παῖς, ὃν αἰτεῖς, ὦ Τελαμών·
καί νιν ὄρνιχος φανέντος κέκλευ ἐπώνυμον εὐ-
ρυβίαν Αἴαντα, λαῶν
ἐν πόνοις ἔκπαγλον Ἐνυαλίου".

Quomodo sint accipienda verba vs. 87: „*τὸν μὲν ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα*", nulli puto dubium erit comparato versu 47: „*ὥσπερ τόδε*

---

[1]) dubitanter recepi Schnitz. lect. [2]) *τὰν* Heyne.

δέρμα με νῦν περιπλανᾶται". Valent nimirum „*στάντα λεοντῇ ἡμφιεσμένον*" (cf. Ol. IV, 22: *χαλκέοισι δ' ἐν ἔντεσι νικῶν*).

Quid autem scholiasta? Mirabundi legimus haec:

„*τοῦτο ἰδίως. οὐ γὰρ ὁ Τελαμὼν ἐκέλευσε τῷ Ἡρακλεῖ ἐμβῆναι* (sic!) *τῷ δέρματι καὶ εὔξασθαι, ἀλλ' αὐτὸς ὁ Ἡρακλῆς τοῦτο κατ' ἰδίαν ἔπραξε προαίρεσιν. εἴληπται δὲ ἐκ τῶν μεγάλων ἠοιῶν ἡ ἱστορία. ἐκεῖ γὰρ εὑρίσκεται ἐπιξενούμενος ὁ Ἡρακλῆς τῷ Τελαμῶνι καὶ ἐμβαίνων τῇ δορᾷ καὶ εὐχόμενος. καὶ οὕτως ὁ διόπομπος αἰετὸς, ἀφ' οὗ τὴν προσωνυμίαν ἔλαβεν Αἴας.*"

Pindarus igitur scholiasta teste narrationem e Magnis Eoeis petitam proprio Marte mutavit. Poeta enim, cum epico in carmine legisset Herculem precantem sponte leonina in pelle stetisse, *ἰδίως* rem ita mutavit, ut Hercules Telamonis rogatu in pelle insisteret.

Duae res hic sunt observandae. Altera est, quod in scholio poetae verba: „*τὸν μὲν ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα κελήσατο σπονδαῖσιν ἄρξαι*", vertuntur quasi valeant: „*ὁ Τελαμὼν ἐκέλευσε τὸν Ἡρακλέα ἐμβῆναι τῇ λεοντῇ καὶ οὕτως ἄρξασθαι τῶν σπονδῶν*". Altera, quod perhibet scholiasta, Magnis quoque in Eoeis Herculem *εὔξασθαι ἐμβάντα τῇ δορᾷ*.

Scholiastam Pindari verba perperam vertisse quivis videt. Neque antiquitus defuisse, qui melius haec verba explicarent, patet e scholii verbis proximis:

ἔνιοι δὲ οὕτως ἀκούουσι· ἰδὼν ὁ Τελαμὼν τὸν Ἡρακλέα ἄφνω ἐφεστῶτα ἐν τῇ δορᾷ παρεκελεύσατο αὐτῷ ὡς ἧκεν ἐκ τῆς ὁδοῦ σπένδειν· τουτέστι μὴ ἀποθέμενον τὸ δέρμα, ἀλλὰ ὡς εἶχεν ἄρξασθαι τῶν σπονδῶν. ὡς ὅμοιον εἶναι τῷ· „Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε, Θέτις νύ τι σεῖο χατίζει."

Sapis sapientiam Aristarcheam. Intellegimus autem scholiastam, cui verus versuum sensus notus esset, non incautum falsam praemisisse explicationem. Quid igitur iudicandum de hominis observatione, quae ad Eoeas Magnas pertinet? Mentitusne est, quod perhibet in carmine epico Herculem institisse in pelle? An forte verum dixit, sed hac ipsa sapientia in Pindari loco explicando a vera via abductus est? Immo, qui ita aberravit

in Pindari verbis explicandis, auctor, cui fidem habeamus de fragmentis deperditis, haud esse potest. Tum, quid sibi vult pellis illa humi strata, quid heros pedibus tegumini insistens? Ἐν Διὸς κῳδίῳ pede sinistro consistunt, qui piaculis solvi volunt; hoc autem hinc quam maxime alienum esse non est quod moneamus. Accedit, quod alii quoque auctores, qui hanc tractarunt fabulam, nil servarunt, quo scholiastae opinio affirmari possit. Immo, ad unum omnes docent Herculem precantem pelle leonina fuisse tectum. Licet in fabula narranda hic atque illic varias ineant vias, hac saltem in re semper et ubique conspirant.

Iuvat eorum mythos propius adspicere; sed antequam eo transimus monendum est apud Euripidem in loco abdito latere observationem, quae Aiacis aquilam revocat in memoriam. Legimus enim fragm. 534 (e Meleagro petito), quibus verbis nuntius descripserit, quo quisque habitu esset, qui ad aprum capiendum convenissent. Incipit fragmentum:

Τελαμὼν δὲ χρυσοῦν αἰετὸν πέλτης ἔπι
πρόβλημα θηρὸς, βότρυσι δ' ἔστεψεν κάρα
Σαλαμῖνα κοσμῶν πατρίδα τὴν εὐάμπελον.

Telamo igitur in scuto Thracio (cf. σάκει κυκλωτῷ σώματος προβλήματι Aesch. Sept. 522) aquilae auream imaginem gerebat, haud dubie Aiacis σύμβολον. Locus autem aliam quoque ob causam memorabilis est. Quis enim non cogitat de Xenophontis verbis Anab. I, 10, 12: „καὶ τὸ βασίλειον σημεῖον ὁρᾶν ἔφασαν αἰετόν τινα χρυσοῦν ἐπὶ πέλτῃ ἀνατεταμένον", ubi teste Cyropaedia (VII, 1, 4): „ἦν δὲ τῷ Κύρῳ τὸ σημεῖον αἰετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος" sermo est de hasta non de cetra. Sed neque loco Euripideo neque Arist. Lys. 563:

ἕτερος δ' αὖ Θρᾷξ πέλτην σείων καὶ ἀκόντιον

dubium esse potest, quid Graeci voce πέλτῃ indicarent. Unicus locus ubi sensu hastae adhibetur Xenophonteus ille supra laudatus est. Sed undenam Anabaseos auctor hanc significationem petivit? Nonne verebatur ne a lectoribus male vox intellegeretur? Vocabulum πέλτη sensu cetrae primum apud Euripidem offenditur in Alcestide (fabula anni 438); Mars ibi audit ζαχρύσου Θρῃκίας

πέλτης ἄναξ. E Thracia igitur, quae regio his annis Atheniensibus magis magisque innotescebat, pelta in Graeciam introducta videtur. Num forte cum re nomen simul invadebat? Observatu certe dignum est, cetram thraciam auro ornatam vocari; sic Rhes. vs. 370:

ἐλθέ, φάνηθι, τὰν ζάχρυσον
Πηλείδᾳ προβαλοῦ κατ' ὄμμα πέλταν
δοχμίαν πεδαίρων,

quo ornamento Periclis aetate a Graecis alieno optime clipeus barbarus indicari poterat. Quam ob rem inter venatores diversissimo habitu ad aprum capiendum convenientes (vid. Eur. fr. 534) Telamo iuvenis a poeta armatur cetra thracia emblemate aureo diffulgente: voluit nimirum poeta, ut spectatores Telamonem iuxta Thestii filios aetolico more calceatos (τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδός), iuxta Ancaeum, qui πελέκεως δὲ δίστομον | γένυν ἔπαλλε, iuxta Atalanten τόξ' ἔχουσαν, *barbarum* sibi fingerent. Animadverte Telamonem nunquam Athenis cultum fuisse, licet Aiax et Eurysaces heroum cultu ibi fruerentur.

II. De Aiacis ἀτρωσίᾳ apud Philostratum.

Apud scholiastam ad Lycophronis Alexandrae vs. 455 leguntur haec: „Ἡρακλῆς τῷ τοῦ λέοντος δέρματι τὸν Αἴαντα περιεκάλυψεν ὅπως ἄτρωτος εἴη· μαρτυρεῖ δὲ τοῦτο καὶ Πίνδαρος".

Similia inveniuntur in schol. II Argumenti Aiacis Sophoclis: „καὶ Πίνδαρος, ὅτι τὸ μὲν σῶμα, ὅπερ ἐκάλυψε ἡ λεοντῆ, ἄτρωτος ἦν Αἴας, τὸ δὲ μὴ καλυφθὲν τρωτὸν ἔμεινεν".

Iterum a versibus Pindaricis discrepat uterque scholiasta· Narrat enim Pindarus supplicasse Herculem, ut tam a vulneribus tutus fieret Aiax, quam a telis tuta esset pellis sua leonina. Infans autem nondum natus non facile pelle amiciri potuit. Quid igitur? Alio loco eundem mythum sed alio modo tractavit

poeta, an ex aliis potius auctoribus petita sunt, quae scholiastae tradiderunt? Exempli causa legimus apud Philostratum (Heroic. XI, 1): „*τὸν μέν γε Αἴαντα καὶ τρόφιμον τοῦ Ἡρακλέους εἶναι ἔφασαν καὶ βρέφος ὄντα ἐνειληθῆναι τῇ λεοντῇ τοῦ ἥρωος, ὅτε ἀνασχὼν αὐτὸν τῷ Διὶ ἀνάλωτον ᾔτει γενέσθαι κατὰ τὴν δορὰν τοῦ λέοντος, ἀετός τε εὐξαμένῳ ἀφίκετο φέρων ἐκ Διὸς τῷ μὲν παιδὶ ὄνομα ταῖς δὲ εὐχαῖς νεῦμα*".

Hercules igitur, quo tempore patrem Troiam secum ducere vellet, Telamonis filium *iam natum* pelle sua leonina involutum manibus sustulit, precatus, ut quae corporis partes pelle tegerentur semper a missilibus ictibusque tutae forent. Tunc aquila statim apparens portendit non modo laetum eventum sed etiam, quod magis est mirandum, pueri nomen.

Coniuncti sunt apud utrumque auctorem, Pindarum dico et Philostratum mythi duo, qui initio haud dubie fuerunt seiuncti; spectat alter mythus *τὴν ὀνοματοθεσίαν* alter *τὴν ἀτρωσίαν*. Observatu dignum est in Philostrati verbis adiectivum, quo Aiacis *ἀτρωσία* futura portenditur. Nempe precatur Hercules, ut heros fiat *ἀνάλωτος κατὰ τὴν δορὰν τοῦ λέοντος*. Revocat in memoriam illud adiectivum Herodoti locum (I 84), ubi Meles leonem sibi e pelice natum Sardium circum arcem gestat oraculo quodam admonitus, ibi *ἀνάλωτον* fore arcem, ubi leo esset praeterlatus. Ut hic urbs sic illic puer *τῇ λεοντῇ* a periculis defenditur; vocabulum autem, quod arci inexpugnabili unice convenit, apud Philostratum in puerum est translatum.

Mens igitur nostra ad Herodotum abducta simul nobis in memoriam venit poeta antiquus, Herodoti cognatus, cuius fragmenta pauca quidem sed venustissima aetatem tulerunt: Panyassim volumus.

Cecinit hic de Herculis laboribus et supersunt forte versus duo de leonis Nemaei exuviis, quae heroi pro tegumine fuerunt:

δέρμα τε θήρειον Βεμβινήταο λέοντος

et

καὶ Βεμβινήταο πελώρου δέρμα λέοντος.

Philostratus III, qui heroum antiquorum cultum novam ad vitam revocare volebat, priscis e carminibus epicis libelli sui

materiam conquisivit. Hausit igitur ex Homero, e Cyclicis. Fortasse non inepte conieceris narrationem de Aiace eum petisse e Panyassis Heraclea, vel, quod cum seriorum saeculorum moribus melius convenire videtur, ex excerptis Panyassis in enchiridio mythologico asservatis.

Nam exstat alia quoque causa, cur de Panyassi cogitemus. Eandem enim fabulae formam, quam habet Philostratus, sequitur Lycophro in Alexandra (vs. 459), ubi Hercules Iovem precibus compellans, Comyrum eum nominat. *Κώμυρος* autem Iuppiter audiebat Halicarnassi, Panyassis in patria. Neque mirum Lycophronem nunquam non doctrinae reconditae amantissimum fabellam vulgarem, qualem praeberent posteriores, praeteriisse atque e Panyassis potius reliquiis utpote poetae antiquioris sapientiam suam hausisse.

III. De Aiacis *ἀτρωσία* apud Homerum et apud tragicos.

De Aiace invulnerabili facto nil habet Homerus. Quinimo Ξ 406 de loris e quibus pendebant scutum et gladius legimus haec:

τώ Ϝοι ἐρυσάσθην τ έ ρ ε ν α χρόα.

Scholium ibi affirmat: „*τρωτὸς δὲ ὁ Αἴας ὅλον τὸ σῶμα, οὐχ ὡς Αἰσχύλος τὰ περὶ τὴν μασχάλην*".

Ad Ψ 821 vero annotatur: „*ἄτρωτος ἦν πλὴν τοῦ αὐχένος*". Sapientia autem est ex ipso carmine perperam deducta, nam de Diomede ibi dicitur:

αἰὲν ἐπ' αὐχέν' ἔκυρε φαεινοῦ δουρὸς ἀκωκῇ,

quasi sciret heros hoc uno loco Aiacem laedi posse. Sed iniuria scholiasta Homero hoc imputat. Versu enim 805 Achilles heroes hastarum ad certamen provocans illi praemium promittit

ὁππότερός κε φθῇῃ ὀρεξάμενος χρόα καλόν,

tum Diomedes cum Aiace singulare in certamine dimicans

αἰὲν ἐπ' αὐχέν' ἔκυρε φαεινοῦ δουρὸς ἀκωκῇ,

illum nimirum petens scopum, qui supra loricam nudus eminebat. Quam ob causam

Αἴαντι περιδϝείσαντες Ἀχαιοὶ
παυσαμένους ἐκέλευσαν ἀέθλια ϝῖσ' ἀνελέσθαι (vs. 822 sq.).

Conveniunt cum scholio ad Ψ 821, quae tradidit scholiasta ad Soph. Aiac. vs. 888:

„παραδεδομένον δὲ κατὰ ἱστορίαν, ὅτι κατὰ τὸ ἄλλο σῶμα ἄτρωτος ἦν ὁ Αἴας, κατὰ δὲ τὴν μασχάλην<μόνην> τρωτὸς διὰ τὸ τὸν Ἡρακλέα τῇ λεοντῇ αὐτὸν σκεπάσαντα κατὰ τοῦτο τὸ μέρος ἀσκέπαστον ἐᾶσαι διὰ τὸν γωρυτὸν ὃν περιέκειτο· φησὶ δὲ περὶ αὐτοῦ Αἰσχύλος ὅτι καὶ τὸ ξίφος ἐκάμπτετο οὐδαμῇ ἐνδιδόντος τοῦ χρωτὸς τῇ σφαγῇ, τόξον ὥς τις ἐντείνων πρὶν δή τις, φησί, παροῦσα δαίμων ἔδειξεν αὐτῷ κατὰ ποῖον μέρος δεῖ χρήσασθαι τῇ σφαγῇ· ὁ δὲ Σοφοκλῆς ἐριθεῦσαι μέν τι ὡς πρεσβυτέρῳ μὴ βουληθείς, οὐ μὴν παραλιπεῖν αὐτὸ δοκιμάζων ψιλῶς φησι:

πλευρὰν ἀναρρήξαντα τῷδε φασχάνῳ

κατὰ τί τὴν πλευρὰν μὴ εἰπών" (cf. fr. 83 Aesch. Weckl.).

Scholiasta igitur — habes hic ut in scholiis Pindaricis sapientiam Didymi —, cui fabula de Aiacis *ἀτρωσίᾳ* nota erat, sedulo quaesivit, num apud Sophoclem quoque huiusmodi aliquid inveniretur. Spe vero deceptus — nam Aiax Sophocleus latere hauriendo mortem sibi conscivit, sicut quivis mortalium facere potest — Aeschylei herois bene memor, qui non nisi divina opera adiutus locum corporis vulneribus patentem invenire potuisset, Sophoclis silentium pro reticentia habens suspicatus est hunc poetam verecundia motum tacite Aeschyli opinionem correxisse. Sed missis hisce scholiastarum hariolationibus grati accipimus Aeschyli fragmentum aliunde ignotum. Videmus enim poetam talem secutum esse mythi formam, qualem apud Philostratum indicavimus, sed cuius fontem Panyassim in Heraclea fuisse non abs omni probabilitate coniecimus. Quae coniectura temporis ratione corroboratur, quoniam Panyassis Aeschyli fuit aequalis. Unde petitum sit fragmentum, nempe e Threissis, patet e scholio ad Lycophr. Alex. vs. 455, quod mox inspiciemus. Restituere conatus est Wecklein (fr. 88), qui tamen illorum

omnium, quae in scholio ad Soph. Aiac. vs. 833 de Aiacis ἀτρωσίᾳ afferuntur, nonnulla Aeschylo tribuere noluit.

Attamen memoratu non indigna sunt. Nam cum tam apud Philostratum quam in Aiacis argumento id modo legatur, involvisse Herculem Telamonis filium pelle leonina, cum praeterea e scholiastis homericis discamus non ubique herois corpus a telis fuisse tutum, a Sophoclis scholiasta fabula amplificatur. Perhibet enim hanc ob causam ab ictibus minime tutam fuisse Aiacis alam, quoniam pharetra, quam puer ferret, pellem leoninam ibi a corpore arcuisset.

Adiciamus praeter alam alia quoque loca τρωτά nominari. Scholium ad Ψ 821 annotat: „Aiacem fuisse ἄτρωτον πλὴν τοῦ αὐχένος". Schol. ad Lycophr. Alex. vs. 455: „οἱ μὲν περὶ τὴν κλεῖδά φασιν εἶναι (ἄτρωτον τὸν Αἴαντα)". Quae loca omnia, ala, latus, iugulum, cervices, id demonstrant, exstitisse quandam mythi formam, qua Aiax ferebatur τόπον καίριον in corpore ceteroquin a vulneribus tuto habuisse; qui vero esset ille locus pro certo non constitisse; alios deinde poetas excogitasse alia loca.

Omnibus denique, quae ad Aiacis ἀτρώσιαν pertinent, sub unum conspectum compositis atque inter se comparatis haec statui possunt:

1°. Aiacem apud Homerum fortissimum quidem fuisse heroem at, ut ceteros omnes, toto qui corpore vulnerari posset;

2°. in ore vero populari iam diu exstitisse fabulam de Aiacis ἀτρωσίᾳ;

3°. Pindarum fortasse hanc ἀτρωσίαν carmine celebrare suscepisse;

4°. sed iam per cyclicos divulgatam fuisse narrationem, qua Aiax sibimet ipse mortem conscisceret;

5°. necesse igitur fuisse effingi aliquid, quo Aiacis mors voluntaria apte cum eius ἀτρωσίᾳ coniungi posset. Hanc ob rem fabellam de Aiacis ἀτρωσίᾳ ita esse amplificatam, ut non toto corpore heros ἄτρωτος diceretur, sed τόπος aliqui καίριος exciperetur;

6°. hunc vero locum, ut res fert, non omnes eundem habuisse;

quosdam ex Homero quaesivisse auxilium. Sic versum Ψ 821:

αἰὲν ἐπ' αὐχέν' ἔκυρε φαεινοῦ δουρὸς ἀκωκῇ

haud dubie fontem fuisse illius fabulae formae, qua Aiax *ἄτρωτος εἶναι πλὴν τοῦ αὐχένος* ferebatur;

7°. recentiores homines anxie quaesivisse, qui factum esset, ut Aiax tam variis locis diceretur *ἄτρωτος* fuisse. Tum natam esse illam explicationem, quam de pelle leonina deque pharetra commemoravimus.

Putarit fortasse aliquis totam fabulam natam esse e Ψ 821. Hoc vero modo non explicatur, cur fuerint homines, qui alium *τόπον τρωτόν* praeter cervices quaererent, qui de ala, de latere, fabularentur. Loco enim semel ab Homero indicato, quid opus erat alium quaerere?

Conferamus quae de Achillis *ἀτρωσίᾳ* nota habemus. Hanc fabulam serior demum aetas scripto mandavit. Poeta enim carminis epici Aegimii — fuisse putant Cercopem Onomacriti aequalem — *ἐν δευτέρῳ φησίν, ὅτι ἡ Θέτις εἰς λέβητα ὕδατος ἔβαλλεν τοὺς ἐκ Πηλέως γεννωμένους γνῶναι βουλομένη, εἰ θνητοί εἰσιν· ἕτεροι δὲ εἰς πῦρ, ὡς Ἀπολλώνιός φησι· καὶ δὴ πολλῶν διαφθαρέντων ἀγανακτῆσαι τὸν Πηλέα καὶ κωλῦσαι τὸν Ἀχιλλέα ἐμβληθῆναι εἰς λέβητα.* Apollonius autem Rhodius IV 869 (cf. [Apollod]. III, 13, 6) docet Thetidem non hanc ob causam Achillem in ignem iecisse, quod periculum facere vellet, utrum mortalis esset puer necne, sed ut immortalem eum redderet:

ὄφρα πέλοιτο
ἀθάνατος, καί οἱ στυγερὸν χροΐ γῆρας ἀλάλκοι.

Postea venerunt, qui Achillis talum exciperent, seri quidem auctores, puta Statius, sed fabulam multo ante exstitisse tute statueris. Neque Homerum pro nihilo fuisse in hac fabula effingenda credideris. Quid enim verisimilius, quam Achillem eodem corporis loco, quo laeserat Hectorem (*X* 396), et ipsum mortem accepisse? *Ἄτρωτος* igitur habebatur Achilles, sed quia vulnere quodam mortuus esse ferebatur, excipiendus erat locus aliqui.

Videtis fabulam de Aiacis *ἀτρωσίᾳ* per eosdem gradus atque

illam de Achille ad recentissimam formam processisse. Erat uterque apud Homerum heros fortissimus, sed humano corpore praeditus vulneribusque obnoxius ut quivis alius. Vigebat autem vivebatque in ore populari fama, qua ἄτρωτοι dicebantur; quae fama fortasse originem ex illo tempore duxit, quo plus quam heroes erant. Homerus vero, qui de validis bellatoribus non de ἡμιθέοις agit, τὴν ἀτρωσίαν praetermisit, fortasse nescivit, quamquam ipse laude sua de heroum fortitudine, vi immensa, constantia, fabellam popularem aluit. Venit tempus, ubi serior poeta τὴν ἀτρωσίαν populi ex ore interceptam carmine celebraret, Pindarus e. g. Aiacis illam; sed iam alii cecinerant heroem homericum mortem obiisse. Necesse igitur fuit, ut ratione aliqua apte inventa ἀτρωσία cum herois morte coniungeretur. Quare ferebant heroem uno loco excepto fuisse ἄτρωτον, quaerebant autem, num forte ex Homero hoc probare possent. Nullo vero loco satis valido invento varia excogitarunt homines, cum alius alium fuisse locum perhiberet. Simul autem novae effingendae erant fabulae, quibus explicaretur, cur tali loco heros ἄτρωτος factus esset. Sic fabella orta est de Aiacis pharetra. Fama autem de Achillis talo, licet notior sit, serius nata est. Heroem pedibus velocissimum, qui hostis pedes transfixerat, ipsum pede vulnus laetale accepisse tam probabile videbatur, ut auctores serioris aetatis de alio loco ne cogitarint quidem.

Homerus et aliis locis Iliadis opinionem de Aiacis ἀτρωσίᾳ corroboravit. In *Λ* enim Patroclus Nestori, quo statu Graeci versentur, narrat additis hisce verbis (vs. 658 sqq.):

οἳ γὰρ ἄριστοι
ἐν νηυσὶν κέαται βεβλημένοι οὐτάμενοί τε.
βέβληται μὲν Τυδεΐδης, κρατερὸς Διομήδης,
οὔτασται δ' Ὀδυσεὺς δουρὶ κλυτὸς ἠδ' Ἀγαμέμνων.

Ubi hic est Aiax? Hic solus nullo vulnere laesus — observa nullum in tota Iliade ei infligi vulnus — hasta armatus ingenti procul a ceteris unus arcet Troianos. Βιάζεται quidem βελέεσσι, at non τιτρώσκεται (*O* 727); hastam eius licet truncet Hector (*Π* 117), ipse salvus evadit. In certamine cum Hectore habito Aiax

neque hasta, neque lapide, neque gladio, ullum quamvis levissimum accipit vulnus, cum Hector tam ense quam gladio laedatur.

Haec de Aiacis ἀτρωσίᾳ, quibus unum addendum est. Observarunt v. d. pellem leoninam Herculis in imaginibus, quotquot saeculo septimo sunt tribuendae, prorsus deesse, adesse vero in illis saeculi sexti. Confirmat Strabo (XV p. 688): καὶ ἡ τοῦ Ἡρακλέους δὲ στολὴ πολὺ νεωτέρα τῆς Τρωικῆς μνήμης ἐστί, πλάσμα τῶν τὴν Ἡράκλειαν ποιησάντων, εἴτε Πείσανδρος ἦν εἴτε ἄλλος τις· τὰ δὲ ἀρχαῖα ξόανα οὐχ οὕτω διεσκεύασται.

Pisandrum Camirensem, vel potius poema quod huic poetae tribui solet, Wilamowitz ad sextum saeculum revocavit. Sexto igitur saeculo Herculis rerum gestarum poetae excogitarunt fabellam, quam legimus apud Pindarum de Hercule Telamonis hospite, de leonis exuviis, de herois ad Iovem precibus. Quinto vero saeculo, quomodo poetae hanc fabulam mutarint, docet Panyassis, quem Wilamowitz ad quintum saeculum rettulit (Herakles I p. 66), licet Suidas medio septimo saeculo eum vixisse putaret. Stesichorus, si audimus Athenaeum (XII p. 518) primus finxit Herculem ξύλον ἔχοντα καὶ λεοντῆν καὶ τόξα, hac in re Xanthum τὸν μελοποιόν non secutus, qui ὁμηρικῶς heroem amictum fuisse fingebat. Imitabatur igitur Xanthus λ 606 sqq.:

ὃ δ' ἐρεμνῇ νυκτὶ ϝεϝοικὼς
γυμνὸν τόξον ἔχεν καὶ ἐπὶ νευρῆφιν ὀιστὸν,
δϝεινόν παπταίνων, αἰεὶ βαλέοντι ϝεϝοικώς.

Sed et haec Stesichorus παρεποίησεν, sexti saeculi poeta Locrorum Epizephyriorum notissimus. Denuo igitur apparet, minime a vero aberrare, qui statuat sexto demum saeculo natam esse fabulam de Hercule Telamonis in aula excepto, ubi Aiaci talem ἀτρωσιάν a Iove deprecaretur, qualem sibi praeberet λεοντῆ sua. Hoc enim episodium excogitari non potuit antequam Hercules λεοντῇ amictus in notionem abiisset vulgarem.

IV. Αἴαντε.

„et cum Castore Pollux".

Nunc venimus ad illam fabulam, in qua Aiax sibimet ipse mortem conscivisse tradebatur; quae fabula, ut iam supra diximus, illam de eius ἀτρωσίᾳ sic mutavit, ut unus saltem corporis locus exciperetur, quo ferrum intromitti posset.

Rogaris annon ab initio, qui Aiacem ἄτρωτον sibi fingerent, talem exceperint locum, cum ipsa res ferret, aliquando Aiaci fatum institisse. Heroi quidem Aiaci! Nam an forte Aiax aliquando plus quam heros fuerit atque inde eius ἀτρωσία in ore populi remanserit, mox quaeremus. Id vero statui potest: antiquos nunquam eum sibi finxisse *heroem* Aiacem, cui vita aeterna esset destinata. Simulac igitur narrare inceperunt hunc heroem gladio incubuisse, non poterat, quin locus vulnerabilis in Aiace ἀτρώτῳ quaereretur.

Sed, nisi omnia nos fallunt, exstitit aliquando mythus, cuius apud Homerum supersunt vestigia, in quo Aiax — non dicimus heroem — ἄτρωτος haberetur neque tamen vita aeterna frueretur. Quid enim, si priscus ille Aiax non gladio periit, sed fluctibus immersus vel rupibus evolsis coopertus evanuit? Nonne huius mythi Homerus servavit rudimenta? Nonne legimus apud Homerum Aiacem apud Gyras cautes in Aegaeo periisse?

„Heus!" inquis, „vide, quid facias, narrantur haec de Aiace minore. Cave ne cum maiore minorem confundas!"

Immo, scientes volentes quae de Aiace minore traduntur transferimus non in maiorem, sed in primarium illum Aiacem, e quo tam maior quam minor homericus prodiit. Statuimus illum primarium fuisse ἄτρωτον, conicimus mortem eum obiisse non humanis sed divinis viribus perdomitum.

Evolvamus Homerum.

Homericis in carminibus duos invenimus Aiaces, Salaminium et Locrensem, vel potius, ut de Salamine taceamus, Telamonium

et Oilei filium. Est Telamonius post Achillem omnium fortissimus, robustus, tranquillus, impavidus, ab omni crudelitate abhorrens, cum asino tardo qui cedere nescit comparandus, paucorum verborum,

ἠύς τε μέγας τε
ἔξοχος Ἀργείων κεφαλήν ἠδ' εὐρέας ὤμους,

πελώριος est, Ἀχαιῶν ἕρκος, ingenti (ut vulgo perhibetur) scuto armatus, imago constantiae, firmitatis, immobilitatis.

Locrensis autem post Achillem est omnium celerrimus, minoris staturae, miles non levis armaturae sed mobilis, contumax, audax, loquax.

Attamen, licet tam multis partibus inter se discrepent, hisce in rebus inter se congruunt, quod nomen gerunt idem, quamquam apud poetam consanguinitatis vinculo vincti sunt nullo; quod fiducia ne dicamus confidentia excellunt permagna; quod aequa amicitia moti disiungi nolunt. Sodalitate quadam iterum atque iterum in Iliade memorata coniuncti sunt heroes, quos varia ob ingenia, variam ob staturam, coniungere potuisse poetam iure miraris. Utriusque naves Achaeorum in castris navalibus vicinas fuisse nusquam apparet; attamen fere semper una procedunt, simul invocantur, simul consalutantur, uno substantivo duali forma expresso designantur: *Αἴαντε!*

Citemus locos insignes:

B 406 Agamemnon ad cenam vocat:
Νέστορα μὲν πρώτιστα καὶ Ἰδομενῆα Ϝάνακτα
αὐτὰρ ἔπειτ' Αἴαντε δύω.

E 519 *Αἴαντε δύω καὶ Ὀδυσσεὺς καὶ Διομήδης*
ὤτρυνον Δαναοὺς πολεμιζέμεν'.

Z 436 sub Troiae muros procedunt *οἵ ἄριστοι*
ἀμφ' Αἴαντε δύω καὶ ἀγακλυτὸν Ἰδομενῆα.

Δ 273 Agamemnon copias lustrans:
ἦλθε δ' ἐπ' Αἴαντεσσι κιὼν ἀνὰ Ϝουλαμὸν ἀνδρῶν,
quas alloquitur vs. 285:
Αἴαντ' Ἀργείων ἡγήτορε χαλκοχιτώνων.

K 228 speculatores surgunt:
Αἴαντε δύω θεράποντες Ἄρηος.
H 164 cum Hectore dimicaturi prodeunt
Αἴαντες θοῦριν ἐπιϝειμένοι ἀλκήν.
Θ 262 hostem aggrediuntur post Diomedem et Atridas:
Αἴαντες θοῦριν ἐπιϝειμένοι ἀλκήν.
M 335 Menestheus amicos quorum eget auxilio circumspiciens:
ἐς δ' ἐνόησ' Αἴαντε δύω, πολέμοι' ἀκορήτω ἑσταότας.
Simul eos invocat vs. 354.
N 201 Simul auferunt et spoliant confossum hostem:
ὥς ῥα τὸν ὑψόθ' ἔχοντε δύω Αἴαντε κορυστὰ τεύχε' ἐσυλήτην.
Σ 157 ter Patroclis a cadavere propellunt Hectorem
δύ' Αἴαντες.

Quibusdam locis editores dubitant *Αἴαντα* edant an *Αἴαντε*. E. g. *K* 58, ubi praestat legere *Αἴαντα* licet vs. 110 et 112 utrumque convocandum censeat Nestor. Coniunguntur enim Aiax et Idomeneus (vs. 53, 112) Aiax minor et Phylei filius.

M 342, ubi legendum *Αἴαντε* coll. vs. 353; *O* 301, ubi fortasse praestat *Αἴαντε*, cum per totam Palioxin heroes certent coniuncti; *P* 626, ubi legendum *Αἴαντε* coll. vs. 668.

Interdum cum Aiacibus coniungitur Teucer. Uno versu iuxtapositi exstant *N* 313:

Αἴαντές τε δύω Τεῦκρός θ' ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν | τοξοσύνῃ.

Solo autem cum Telamonio procedit Oilei filius in imagine *N* 700 sqq.:

Αἴας δ' οὐκέτι πάμπαν, Ὀιλῆος ταχὺς υἱός,
ἵστατ' ἀπ' Αἴαντος Τελαμωνίου, οὐδ' ἠ βαιόν·
ἀλλ' ὥς τ' ἐν νειῷ βόε ϝοίνοπε πηκτὸν ἄροτρον
ϝῖσον θυμὸν ἔχοντε τιταίνετον ....
ὡς τὼ παρβεβαῶτε μάλ' ἕστασαν ἀλλήλοιιν.

Observa rem maxime mirandam hic nobis narrari. Nam cum

Telamonius, ut sana poscit ratio, in mediis copiis suis ducis officio perfungitur, Locrensis copiis suis relictis, quasi non imperator sed ἐθελοντής esset, iuxta Telamonium hostium repellit impetum. Cur vero Locrenses ducem suum non erant secuti? Respondet poeta:

οὐ γάρ σφι σταδίῃ ὑσμίνῃ 'μίμνε φίλον κῆρ·
οὐ γὰρ ἔχον κόρυθας χαλκήρεας ἱπποδασείας,
οὐδ' ἔχον ἀσπίδας εὐκύκλους καὶ μείλινα δοῦρα,
ἀλλ' ἄρα τόξοισιν καὶ ἐυστρεφέ' οἰὸς ἀώτῳ
Ϝίλιον εἰς ἅμ' ἕποντο πεποιθότες, οἶσιν ἔπειτα
ταρφέα βάλλοντες Τρώων 'ῥήγνυντο φάλαγγας.

Arcubus igitur et fundis instructi erant Locrenses, cum eorum dux hastam gerebat. Leaf coniecit poetam contra fidem historicam arcubus Locrenses armasse pro rerum antiquarum suo amore, sagittarios enim Locrenses non fuisse. Laudat Pausaniam perhibentem Cretenses solos antiquitus fuisse sagittarios, Locrenses autem, qui apud Hesiodum (Scut. vs. 25) vocentur ἀγχεμάχοι, Persico quoque bello meruisse hoplitas.

Antiquissimis autem temporibus praeter Cretenses alios quoque sagittarios fuisse docent Apollo, Hercules, Eurytus, Philoctetes, Ulixes, Pandarus, e Graeciae orti regionibus diversissimis atque omnes τοξόται. Quae autem fuit causa, cur ipsi duci arcum poeta negavit? Num forte Aiax talis in auditorum mentibus vivebat, ut sagittarium depingi eum posse desperaret? Scimus poetam, cui debemus versus *B* 529 sqq., apposite perhibuisse heroem hasta non arcu fuisse instructum:

ὀλίγος μὲν ἔην λινοθώρηξ,
ἐγχείῃ δ' ἐκέκαστο Πανέλληνας καὶ Ἀχαιούς.

Hastatus igitur et λινοθώρηξ, quales erant Adrastus (*B* 830) ceterique Argivi (Certam. Hom. et Hesiod. 569), Aiax minor depingebatur. Alius vero erat, melius qui armis suis cum Locrensibus sagittariis conveniret, nempe Teucer Telamonis filius nothus, maioris Aiacis frater τόξων ἐὺ Ϝειδώς. Quod ad Aiaces attinet, hac quoque in re inter se conveniunt, quod uterque semper fuit hastifer.

Interdum sic arcte coniuncti sunt, ut revera uno ore loqui videantur. E. g. *M* 265 sqq.:

ἀμφοτέρω δ' Αἴαντε κελευτιάοντ' ἐπὶ πύργων
πάντοσ' ἐφοιτήτην μένος ὀτρύνοντες Ἀχαιῶν.
ἄλλον μειλιχίοισ', ἄλλον στερεοῖσι Ϝέπεσσι,
'νείκεον, ὅν τινα πάγχυ μάχης μεθιέντα Ϝίδοιεν·
„ὦ φίλοι, Ἀργεΐων etc.

Sequitur vs. 277:

ὣς τώ γε προβιβάντε μάχην ὤτρυνον Ἀχαιῶν.

Potestne arctius? Posse negas, at superat poeta tuam exspectationem.

P 747 Aiaces conferuntur una cum rupe, quae fluminis arcet aquas:

Αἴαντ' ἰσχανέτην, ὥς τε πρὼν ἰσχάνει ὕδωρ,
ὅς τε καὶ ἰφθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα
ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίονδε τίθησι
πλάζων· οὐδέ τέ μιν σθένεϊ ῥηγνῦσι ῥέοντες·
ὣς αἰεὶ Αἴαντε μάχην ἀνέϜεργον ὀπίσσω
Τρώων.

Quinimo propius attendentibus non potest, quin risum moveat comparatio *N* 197 sqq. Leonem enim auferre capellam, quis miratur? Mirum igitur non fuisset, si alteruter Aiax hostem secum verrens cum leone capellam rapiente comparatus esset, vel si ambos Aiaces cum duobus leonibus victimam maioris staturae quam est capella secum trahentibus, bovem puta, contulisset poeta. Quid vero fecit? Ambos Aiaces duobus cum leonibus confert, qui simul unam absportant capellam — capite nimirum et cauda!

ὥς τε δύ' αἶγα λέοντε κυνῶν ὕπο καρχαροδόντων
ἁρπάξαντε φέρητον ἀνὰ ῥωπήια πυκνὰ
ὑψόθ' ὑπὲρ γαίης μετὰ γαμφηλῇσιν ἔχοντε,
ὥς ῥα τὸν ὑψόθ' ἔχοντε δύω Αἴαντε κορυστὰ
τεύχε' ἐσυλήτην.

Animadverte ultima verba: *ὑψόθ' ἔχοντε ἐσυλήτην*! Quo modo id perpetrarint non facile hercle explicaris. Quanto melior comparatio, quae exstat *Γ* 23 sqq.:

ὥς τε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας
εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν ἢ ἄγριον αἶγα etc.

Neque fugit scholiastam res perridicula, annotavit enim: „οὐ συμμαχοῦσιν ἀλλήλοις λέοντες"! Nonne potius dicemus poetam idcirco imagine fuisse abusum, quia Aiaces divellere neque vellet neque posset?

M 343 sqq. Menestheus Atheniensis ad Aiaces mittit hisce verbis: „praestare auxilio si veniant ambo, sin fieri nequeat, solus veniat Aiax maior, sed secum agat Teucrum sagittarium." En venit unus Telamonius, at

ϝοι Τεῦκρος ἅμ' ᾖε κασίγνητος καὶ ὄπατρος.

Teucer igitur hoc loco pro Oilei filio latus tegit Telamonio. Quis vero tertius una progreditur? Atheniensis nulli secundus, regio e sanguine creatus, Pandion! Cur autem eos comitetur, non facile conieceris. Fert nimirum Teucri arcum!

Πανδίων Τεύκρου 'φέρε καμπύλα τόξα! (*M* 372)

Hic certe exclamas: „ὁ τοξότης ἔοικεν οὐ σμικρὸν φρονεῖν", qui arcum post se ferre iubeat Atheniensem loco nobilissimo natum. Sed quid Teucer ipse, Teucer sagittarius, ferebat ut satellite ei opus esset? Frustra rogas! Prorsus supervacaneus Pandion ille videtur, qui quantocius hinc facessat! At unde irrepsit versus iam ab Aristarcho κατωβελισμένος? „Der Name Pandion zeigt es: er ist eine attische interpolation". (Wilam. Hom. Unters. p. 245). Itane vero? exclamas. Attici igitur clarissimum regem, dummodo in Iliade locum haberet, Teucro τῷ τοξότῃ servire perpessi sunt? Vix credibile videtur. At sic voluerunt Eurysacidae, qui post Salaminem captam Athenis magna gloria fruebantur! Talemne igitur potentiam obtinebant Eurysacidae in urbe, quo advenae venissent, ut τῶν αὐτοχθόνων regem, non heroi suo eponymo, sed Teucro serviisse canere possent? Atque id cum Pandion ipsa in arce ἡρῷον possideret (Paus. I, 5, 4 cf. Iudeich Topogr. p. 255), Teucer contra ne statuam quidem habuerit? Monemus interpolatorem versu *M* 372 maluisse Pandionis gloriam detrectare, quam illam Teucri augere. Maluisse, at non potuisse, nam siquis alius Pandion apud posteros cultu floruit. „Dem Andenken dieses

Heros galt das attische Staatsfest der Pandia (C.I.A. II 554 *b*); wir kennen auch seinen Priester, seine Statue auf der Burg und das Heiligtum in dem die attischen Phylengenossen ihren Eponymos verehrten" (Toepffer Attische Geneal. p. 162 [2 Anm.]). Quid igitur? Interpolatio attica non est? Est, sed quae aliud quid spectabat quam Atheniensium dedecus. Observat Pausanias I, 41, 6: „*τιμὰς δὲ καὶ ἐν τῇ πόλει παρὰ Μεγαρέων ἔχει*". Honorabatur igitur Pandion ab iis quoque e quorum regione Athenas venerat. Num forte interpolator lacessere voluit Megarenses? Nam in Megaride *πρὸς θαλάσσῃ μνῆμά ἐστιν* Pandionis *ἐν Ἀθηνᾶς Αἰθυίας καλουμένῳ σκοπέλῳ*. Novimus hanc Minervam marinam, cui Cassandra ab Aiace abrepta preces suas submisit,

πολλὰ δὴ Βούδειαν Αἴθυιαν Κόρην
ἀρωγὸν αὐδάξασα τάρροθον γάμων (Lycophr. Alex. 359);

sed eadem fuit Aethyia, quae dissipavit Graecorum classem Aiaci irata. Petivit igitur, si quid videmus, interpolator iussu Philaïdarum et Eurysacidarum simul cum Megarensi Pandione Minervam Aethyiam, cuius socium (nam Pandion stabat *ἐν Αἰθυίας σκοπέλῳ*) Teucri *θεράποντα* faceret. At, si atticus fuit interpolator, nonne eodem telo, quo Megarensem petebat deam et heroem, suos ipsius laesit cives, quoniam, ut supra vidimus, Pandion Athenis quoque magno gaudebat honore? Minime, dummodo statuamus versum *M* 372 ante Clisthenis aetatem in Iliadem esse illatum. Cur, rogas? Quia, ut Toepffer iure observavit, tam Pandion quam Aegeus initio nullum locum in atticorum regum serie obtinebant, sed filiorum eorum causa introducti sunt. „Sie sind erst in Folge der politischen Massnahmen des Kleisthenes enger mit dem altattischen Sagenstoff verschmolzen worden und danken ihren Ruf den nach ihnen benannten staatlichen Institutionen" (p. 162). Qui igitur ante Clisthenem Pandionem petebat, minime lacessebat Athenienses, a quibus Pandionis cultus forte adhuc erat alienus. Philaïdae autem iam prius, ante Pisistratum, si audis Plut. Sol. 10, *κατῴκησαν ἐν Βραυρῶνι καὶ ἐν Μελίτῃ*. Quae gens, simulac Clisthenis diebus Pandionis nomen Athenis

inclarescere coepit, tam hunc heroem quam Minervam Aethyiam atque Megarenses aggressa est cantando:

Πανδίων Τεύκρου φέρε καμπύλα τόξα!

Qui versus igitur circiter annum 510 in Homerum interpolatus docet, Philaïdas quoque ab Aiace maiore oriundos minorem Aiacem minime neglexisse. Huius enim causa Megarensium deam (Paus. I, 5, 3) petebant.

Iam vidimus Aiaces et Teucrum *N* 313 uno versu esse coniunctos. Operae autem pretium est totum exscribere locum, ut melius appareat, quam arcte coniunctos sibi finxerit poeta hos tres heroes. Observa, qui in unam personam coalescere videantur:

Αἴαντές τε δύω Τεῦκρός θ' ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν
τοξοσύνῃ, ἀγαθὸς δὲ καὶ ἐν σταδίῃ ὑσμίνῃ·
οἵ μιν (Hectorem) *ἅδην ἐλάουσι καὶ ἐσσύμενον πολέμοιο.*
αἰπύ Ϝοι ἐσσεῖται, μάλα περ μεμαῶτι μάχεσθαι,
κείνων νικήσαντι μένος καὶ χεῖρας ἀάπτους
νῆας ἐνιπρῆσαι, ὅτε μὴ αὐτός γε Κρονίων
ἐμβάλοι αἰθόμενον δαλὸν νήεσσι θοῇσι.
ἀνδρὶ δέ κ' οὐ Ϝείξειε μέγας Τελαμώνιος Αἴας,
οὐδέ κ' Ἀχιλλῆι ῥηξήνορι χωρήσειε
ἐν γ' αὐτοσταδίῃ.

Minime inferiores partes Teucer noster in Iliade agit. Saepius cum Hectore proeliatur. *Θ* 281 sqq. Agamemnon honorifice eum alloquitur, vel, quod plus est, praemia secunda Troianis e spoliis se ei çeteris Achaeorum nobilissimis posthabitis cessurum esse, declarat.

281 *Τεῦκρε φίλη κεφαλή, Τελαμώνιε, κοίρανε λαῶν*
282 *βάλλ' οὕτως, αἴ κέν τι φάος Δαναοῖσι γένηαι*
283 *πατρί τε σῷ Τελαμῶνι, ὅ σ' ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα,*
285 *τὸν καὶ τηλόθ' ἐόντα ἐυκλεΐης ἐπίβησον.*
σοὶ δ' ἐγὼ ἐκϜερέω, ὡς καὶ τετελεσμένον ἔσται·
αἴ κεν ἐμοὶ δῴη Ζεύς τ' αἰγιόχος καὶ Ἀθήνη
Ϝιλίου ἐξαλαπάξαι ἐὺ κτίμενον πτολίεθρον
πρώτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρεσβήιον ἐν χερὶ θήσω.

Unum omisimus versum nempe 284, quem reiecit Aristarchus:

καί σε νόθον περ ἐόντα 'κομίσσατο Ϝῷ ἐνὶ Ϝοίκῳ.

Hoc autem versu reiecto evanescunt ex Iliade Teucri *νοθείας* documenta. Tamen non dubitamus, quin sit reiciendus. Uxori enim laudi sit nothos liberos eodem loco quo suos habuisse, patrem contra *τὸν νόθον Ϝῷ ἐνὶ Ϝοίκῳ κομίσσασθαι*, quid mirum? Laudibus afficitur a poeta Theano, quae marito suo *χαριζομένη* nothum filium simul cum suis liberis nutrisse dicitur (*E* 70 sq.). Quod vero Telamoni laudi vertit vs. 284, tunc temporis faciebant patres omnes. Dabimus exemplum.

Poeta, quis nescit, nullam facit inter Graecorum et Troianorum mores discrepantiam. Affluebat Priami regia nothis liberis. Andromache in Euripidis fabula Hectorem sic alloquitur (Andr. vs. 244 sqq.):

σοὶ καὶ ξυνήρων, εἴ τι σε σφάλλοι Κύπρις
καὶ μαστὸν ἤδη πολλάκις νόθοισι σοῖς
ἐπέσχον, ἵνα σοι μηδὲν ἐνδοίην πικρόν.

Quid igitur sibi vult vs. 284, si nil peculiare habet Telamonem filium suum nothum domi educasse?

Poeta Teucri *νοθείαν* non novit. *M* 372 Teucer vocatur Aiacis *κασίγνητος καὶ ὄπατρος* i. e. frater et quidem eodem patre natus. „*Κασίγνητος* is a general term covering fraternity on *either* side and is specialized by the addition of *ὄπατρος*." Sic recte Leaf ad *Λ* 257.

O 439 sqq. hoc modo Aiax Teucrum alloquitur:

Τεῦκρε πέπον, δὴ νῶιν ἀπέκτατο πιστὸς ἑταῖρος
Μαστορίδης, ὃν νῶι Κυθηρόθεν ἔνδον ἔοντα
Ϝῖσα φίλοισι τοκεῦσιν ἐτίομεν ἐν μεγάροισι.

Antecedit versus: *Αἴας δ' ἐρρίγησε κασίγνητον δὲ προσηύδα.*

Quid? Fac alios duos heroes, sed qui tibi ignoti sint, talia inter se loqui, ecquid dubites statuere esse eos fratres uterinos? Non opinor. Adde Hesionae nomen nusquam apud Homerum inveniri, Teucrum appellari *Ϝάνακτα* (*Ψ* 859), Herculis expeditionem Troianam, cui interfuit Telamo, legi quidem in Homero, sed in illo episodio, quod Bethius (Neue Jahrb. 1901) optimo

iure pro certissimo interpolationis exemplo habuit. Num quid aliud hisce perpensis statuendum videtur, quam Teucri *νοθείαν* ignotam fuisse poetis, qui Iliadem composuerunt? Tam Teucrum quam Aiacem filium Telamonis habuerunt genuinum. *Τελαμώνιος* iis fuit uterque. Unde terrarum provenissent, accuratius indicare omiserunt, nedum de matre quicquam sint prolocuti. Sed non omiserunt observare Teucrum sub Aiacis clipeo latere solitum fuisse, ita ut hi quoque heroes velut unus fierent. E. g. *Θ* 267:

'στῆ δ' ἄρ' ὑπ' Αἴαντος σάκεϊ Τελαμωνιάδαο

vel

αὐτὰρ ὃ αὖτις ἰὼν, παῖς ὣς ὑπὸ μητέρ' ἔδυσκε
εἰς Αἴανθ'· ὃ δέ μιν σάκε' ἐκρύψασκε φαεινῷ.

Ex omnibus igitur locis homericis supra allatis ac inter se comparatis hoc sequitur: Aiaces et Teucrum triadem esse ita comparatam ut minor Aiax a maiore secerni nequeat neque Teucer a maiore. Aiaces praesertim quasi ex uno heroe discretos dixeris. Neque tempus, quo coniuncti essent, multo homericae aetati antecessisse, vel inde suspiceris, quod, cum minor Aiax nunquam non Locrensis vocetur, maior duobus locis interpolatis exceptis nondum in Iliade propriam sibi invenerit patriam. A minore avulsus regione natali relicta frustra novam quaerit sedem. *B* 557 modo et *H* 197 sqq. heroem e Salamine originem duxisse affirmat poeta. Utrumque vero versum interpolatum esse certatim contenderunt critici tam antiqui quam hodierni. Primus, qui testatus est *H* 197 sqq. notos sibi habuisse, fuit Pindarus Nem. II 13:

καὶ μὰν ἁ Σαλαμίς γε θρέψαι φῶτα μαχατὰν
δυνατός. ἐν Τροίᾳ μὲν Ἕκ-
τωρ Αἴαντος ἄκουσεν.

Quod ad *B* 557 sq. attinet, e verbis Strabonis (IX 394): „*οἱ μὲν οὖν Ἀθηναῖοι τοιαύτην τινα σκήψασθαι μαρτυρίαν παρ' Ὁμήρου δοκοῦσιν· οἱ δὲ Μεγαρεῖς ἀντιπαρῳδῆσαι αὐτοῖς οὕτως·*

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν νέας ἔκ τε Πολίχνης
ἔκ τ' Αἰγειρούσσης Νισαίης τε Τριπόδων τε",

apparet *B* 557 sq. natos esse e parodia. Quid vero sit παρῳδεῖν docet scholium ad *M* 175. Est versus:

ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἐμάχοντο πύλῃσι,

annotat scholium: „παρῴδηται ἐκ τοῦ

ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἐμάχοντο νέεσσι (scil. vs. *O* 414).

πρὸς ποίας δὲ πύλας ἐμάχοντο? οὐδέπω γὰρ διαβεβήκασι τὴν τάφρον!"

Quid hic valet παρῳδεῖν? Nempe μεταφέρειν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλον τόπον, nil amplius; nisi quod unum alterumve vocabulum forte mutandum erat. Sic in comoedia παρῳδεῖν vocatur, ὅταν ἐκ τραγῳδίας μετενεχθῇ ὁ στίχος (Schol. Ar. Ach. vs. 8). Sic Athen. VIII 364 *B* sermo fit de verbis ἅπερ πάντα ἐκ τῶν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένων μεγάλων Ἠοίων καὶ Ἔργων παρῴδηται i. e. *translata* sunt. Sic et alibi στίχοι παρῳδοῦνται i. e. *transferuntur* atque in recitando superioribus versibus *adiunguntur*; *saepius* ut risus moveatur auditori, at *non semper*, praesertim ubi non *de comoedia* agitur. Nam, quae causa iocandi esset in versu *M* 175? Statuamus igitur in scholio ad *M* 175 παρῳδεῖν valere *transferre ceterisque versibus adiungere* (παρ—ῳδεῖν), vel ut brevius significemus: *interpolare*. Utrum vero ex ipsa tua mente an ex alio scriptore novum additamentum petieris, nil refert: interpolas. Athenienses igitur ad vs. *B* 556 παρῴδουν, i. e. addebant versus non ex alio auctore translatos, sed e suis ipsorum mentibus in Iliadem illatos:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δύο καὶ δέκα νῆας

'στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

Megarenses autem ἀντιπαρῴδουν, i. e. ut Athenienses refutarent, (ἀντι) interpolarunt versus, quos et ipsi sua e mente in Iliadem transtulerunt:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν νέας ἔκ τε Πολίχνης

ἔκ τ' Αἰγειρούσσης Νισαίης τε Τριπόδων τε.

Debentur hae interpolationes saeculo sexto. Poetae hymni Cereris notum fuisse vs. 558 censuit Platt. Quare? Quia h. Cer. vs. 384 incipit a verbis 'στῆσε δ' ἄγων! Haud validum argumentum. Sed quid lucramur? Nam tempus, quo ille hymnus factus est, minime constat. Fickius, Baumeister saeculo sexto hymnum attribuerunt!

Omnibus autem controversiis omissis, id nullus non criticus hodiernus concedet *B* 557 sq. esse obelo notandos.

Apud Homerum igitur Telamonii de patria constat nihil. Conicimus heroem Locride, ubi cum Aiace minore coniunctus fuerat, relicta, novam sedem nondum tum repperisse. Uterque enim Aiax e Locride provenit, ubi et Teucer erat natus, ut infra exponere conabimur. Nunc satis sit observasse Locrenses, qui libro *N* arcubus armati procedunt, procul dubio initio habuisse ducem eodem modo instructum ut, e. g. *Φιλοκτήτης τόξων ἐὺ Ϝειδώς* praeerat copiis *τόξων ἐὺ Ϝειδόσι Ϝῖφι μάχεσθαι* (*B* 718 sq.). Quis autem melior horum Locrensium fuisset dux quam Teucer *ὁ τοξότης*?

Monuit Usener in libro, qui inscribitur „Dreiheit" triadem plerumque e duade, illam vero e monade esse ortam. Quod ni fallimur hic quoque obtinuit. Vixit, opinor, in Locrensium mythis Aiax quidam heros strenuus Herculi similis, qui clava vel hasta instructus suos defendebat. Sed, ut Hercules quamcumque ob causam clavam mutavit cum arcu, sic venit tempus, quo heros Locrensis e hastifero vel clavigero fiebat arcitenens. Coniectamus factum id esse, qua aetate Apollinis cultus in Locridem ingressus antiquiorem terrae venerationem paulatim repelleret. Heros enim, qui hucusque habebatur terrigena, tunc Apollinis veniebat sub auspiciis, fiebat ut deus ipse *τοξότης*. Duarum religionum sibi oppositarum discrepantia perfecit, ut heros, qui hucusque fuerat uniformis, exinde duabus sub formis prodiret. Quamvis autem tali modo exstitisset heroum „duas", *μονοειδοῦς* eius originis vestigia servabant poetae, ita in acie eos coniungentes, ut arcitenens alterius sub scuto latere soleret. Mox colonos emigrantes secuti ad sinum venerunt Saronicum. Ibi heros hastifer popularibus in carminibus gloria rerum crevit patremque adeptus est divinum Telamonem; eodem patre fruebatur socius eius *τοξότης*, qui fortasse a stirpe *τυκ* (treffen) proprium accipiebat nomen: *Τεῦκρον*.

Qui vero homines in Locride remanserant heroem hastiferum antiquo suo nomine colere pergebant, licet cum Telamonio

comparatus tam statura quam factis videretur minor. Iuxta hunc quoque ibi colebatur socius arcitenens, cui a stirpe *μεδ* (leiden) dabatur nomen *Μέδων* (*B* 727). Sic noti erant *Αἴας Τελαμώνιος* et *Τεῦκρος* in regionibus sinu Saronico conterminis, *Αἴας ὁ μείων* et *Μέδων* in Locride, patria antiquissima. *Ὁ μείων* autem, ut ipsa res fert, patre carere non poterat. Ita fiebat Oilei filius. Oileus vero Apollinis appellativum erat, quo in Locride, ut demonstrabimus infra, hic deus invocabatur. Sed et Medon eodem patre utebatur, ut Teucer iuxta Aiacem maiorem *Τελαμώνιος* dicebatur. Homines serioris aetatis Medontem et Teucrum pro *νόθοις*, Aiaces pro *γνησίοις* habuerunt. Neque iniuria, nam si originem spectas, Aiaces veri erant terrigenae, Teucer autem et Medon recentiori cultui in Locridem introducto vitam debebant. Quinimo tantum hic cultus valuit, ut *ὁ μείων* quoque, licet e terra esset natus, mox Apollinis Ilei gnatus haberetur. Neque mirum videbitur, quod *ὁ μείων*, utpote qui in Locride remansisset, plurima originis suae servarit vestigia: hic igitur in Locrensium coloniis, tam occidentalibus quam orientalibus, in Italia et in Troade in rebus sacris locum suum obtinuit.

Lectorum in commodum paucis indicavimus, quae in capitibus sequentibus fusius tractabuntur. Verebamur autem ne disputationis nostrae tenor pro variarum rerum multitudine lectorem quamvis attentum effugere posset. Nunc vero praemonitus per varios casus perque tot discrimina rerum itineris certus argumentationem sequi poterit.

Unum vero iam absolvimus: probavimus Homerum hanc ob causam ambos Aiaces fere semper in carmine epico coniunxisse quod tunc temporis fama horum heroum originis nondum prorsus esset intermortua. Abierat iam *ὁ μείζων* e patria natali, factus erat Telamonius, sed nondum Salaminius habebatur. Natus erat Teucer, at nondum in Troade lucem aspexisse fama ferebat. Supererant documenta levissima, quae Locridem respicere cogerent.

V. De ratione quae inter Minervam et Aiaces intercedit.

Unaquaeque controversia e multis illis, quas complectitur quaestio illa, quae vocatur homerica, ita est comparata, ut qui difficultatibus eius solvendis impendat operam, non possit, quin semper aenigmata excitet obscuriora. Sic responsum, quod supra, qua par est prudentia, dare conati sumus, multifarias quaestiones novas, quae sua sibi responsa aegre desiderent, protraxit in lucem. Sic nunc agendum erit de re quadam intricata, quam supra attigimus, sed nondum ad finem perduximus.

Nam cum de Aiacis agebamus ἀτρωσίᾳ iuxta omnia alia, quae de huius fabulae origine suspicati sumus, id quoque proponebamus: Aiacem insania abreptum mortem sibi conscivisse; hinc vero mythologis necesse fuisse excogitare aliquam rationem, qua Aiacis mors voluntaria apte cum eius ἀτρωσίᾳ coniungi posset. Interroganti autem, quibus e causis profluxerit nefastus ille Aiacis furor, respondet tibi Calchas: „ex ira, quam in Aiacem conceperat Minerva".

ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ μόνῃ
δίας Ἀθάνας μῆνις (Soph. Aiac. vs. 756).

Iam cum in eo esset iuvenis ut domo proficisceretur, patri ob filii superbiam anxio deosque respiciendos esse monenti, „mi pater", responderat Aiax, „deorum auxilio vel pessimus quisque gloriam adipisci potest, equidem vero, nullus licet deus me adiuturus sit, rerum gestarum me laude conspergam".

Minervae auxilium ei praebiturae superbus acclamaverat: „aliis, o regina, melius succurres, nostra vero a parte acies non perrumpetur".

Eane superbia, quam vivide illustravit Sophocles, homerico ab Aiace aliena fuit? In utramque partem respondentes discedunt. Mentisne superbae documenta dedit heros *H* 255 sqq., ubi Hectorem compellat: „nunc vero quales heroes tulerit Graecia invictos experieris"? Minime; locutus est e more heroum. Sic loqui solent *οἱ μεγάθυμοι*. Audi modo Hectorem respondentem:

„O Aiax Telamonie, noli me despicere, nam ego quoque bellicarum artium sum peritus, Martisque choro initiatus sum."

N 823 sqq. Aiax non sine omni ironia Hectorem hisce verbis ad certamen singulare provocat: „*δαιμόνιε, σχεδὸν ἐλθέ!*", cui Troianus ira exardescens: „*Αἶαν ἁμαρτοϝεπὲς, βουγάιε, ποῖον ἔϝειπες!*" Hic quoque a loquendi ratione inter heroes solita discedit neuter; conferantur modo, quae Agamemnon et Achilles sibi invicem inferant.

H 195—199 Aiax suos adhortatur commilitones, ut pro salute sua precentur:

ἀλλ' ἄγετ' ὄφρα κ' ἐγὼ πολεμήια τεύχεα δύω
τόφρ' ὕμες εὔχεσθε Διὶ Κρονίωνι ϝάνακτι,

sequuntur verba vario modo intellecta:

197 *σιγῇ ἐφ' ὑμείων, ἵνα μὴ Τρῶές γε πύθωνται*
ἠὲ καὶ ἀμφαδίην, ἐπεὶ οὔ τινα δέδϝιμεν ἔμπης·
οὐ γάρ τίς με βίῃ γε ϝεκὼν ἀϝέκοντα δίηται,
οὐδέ τι ϝιδρίῃ, ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ νήϝιδά γ' οὕτως
ϝέλπομαι ἐν Σαλαμῖνι γενέσθαι τε τραφέμεν τε.

Hos versus ab Aiacis moribus esse alienos cum Alexandrinis putarunt recentiores nonnulli. „Nonne", ita rogatur, „herois cum indole congruit, postquam commilitones *parva* voce ut precentur commonuit, subito mente conversa addere: „at per me licet *alta* voce precamini, quoniam nullum pertimescimus neque ullus me vi vel arte bellandi repellere potest"? „Minime," respondet Wilamowitz, „wer in frommem Sinne eh es zum schweren Kampfe geht die Gefährten bittet für ihn zu beten, der renommirt nicht, dass keiner ihm an Kraft und Geschicklichkeit überlegen sei." Egregia verba. Monuit autem idem v. d. servandum esse versum: *σιγῇ ἐφ' ὑμείων, ἵνα μὴ Τρῶές γε πύθωνται*, licet ab antiquis expungatur. Cavendum enim fuisse Aiaci ne hostium preces illis Graecorum apud deos nocerent. Profiteri igitur Aiacem se nullo modo Iovis auxilio carere posse, uti par est profiteri eum, qui modo socios ut pro se precarentur rogarit.

Versus vero 197 sqq. servari non posse alia quoque ratione probari potest. Fac enim Aiacem fuisse hominem impium, qui

palam declararet Iovis auxilio carere se posse — nam id profitetur, qui verbis *ἠὲ καὶ ἀμφαδίην* significat sociorum suorum preces ad Iovem pro sua salute submissas hostium votis deo gratioribus vinci facile se esse perpessurum —, quid post illa *ἠὲ καὶ ἀμφαδίην* sequi debuisset? Minime quod nunc sequitur *ἐπεὶ οὔ τινα* (sc. Troianorum) *δέδϜιμεν ἔμπης*, sed huiusmodi aliquid: „quoniam *Iovis* auxilium flocci facio", graece: „*ἐπεὶ Διὸς οὐκ ἀλεγίζω*"! Quare, cum verba *σιγῇ ἢ ἀμφαδίην εὔχεσθαι Iovis* modo opem respiciant, utique recidendi sunt versus 197—199, quos versu 196ᵃ non perpenso male annexuit interpolator.

Quo facto Aiax noster impietatis crimine prorsus absolvitur; immo fit heros, qui deos quam maxime observat, horum auxilium implorat, pius idem et fortis. Contrarius igitur fit Sophoclei illius, cuius impia verba Minervae moverant stomachum.

Sin vero apud Homerum quis quaerit heroem, cuius indoles cum Aiacis illa Sophoclei (maioris igitur) congruat, revocet sibi in memoriam verba superbissima:

'φῇ ῥ' ἀϜέκητι θεῶν φυγέμεν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.

Cuiusnam sunt? Nempe Aiacis Locrensis. Paucorum autem verborum sed strenuarum rerum unicuique videbitur vir Aiax ille maior homericus. Sed quomodo ibi describitur minor?

Αἶαν, νεῖκος ἄριστε, κακοφραδὲς, ἄλλα τε πάντα
δεύεαι Ἀργείων,

ita compellatur ab Idomeneo in Ψ. Litigiosus est, superbus, fatuus, ut credideris Locrensis indolem transisse in Telamonium Sophocleum.

Minervae certe amicus neque erat Aiax Sophocleus, neque fuit Locrensis apud Homerum. Currendi certamen ineunt Aiax minor et Ulixes (Ψ 754 sqq.). Animadverte, quam sit poeta sollicitus, ut vivide describat favorem, quo Ulixes tam apud deam quam apud socios fruatur. Huic applaudunt, hunc currentem benevolo incitant clamore. Aiacem vero quamvis prior permensus sit stadium Achaei accipiunt irridentes, explodentes. Quid rei est? In fimo bubulo collapsus dux Locrensium a Deucalione oriundus abit, stercore oblitus taeterrime! Potestne

vilius? Quantum mutatus ab illo, qui una cum Telamonio ignem a Graecorum navibus arcere conabatur! Quanto nobilior videtur Thersites prae hoc imperatore. Ne Irus quidem e certamine cum Ulixe inito discessit sic. Meliusne poeta significare poterat, quam invisus Minervae fuerit hic heros, quam despicatui esset cunctis Achaeis?

Attamen nullam rapuerat Cassandram, nullam violarat Minervae aram. Neque tali modo locutus fuisset poeta libri Ψ, nisi conscius sibi fuisset, talia fore auditorum e mente.

Observa autem maiorem quoque Aiacem hisce in certaminibus nullum auferre praemium primarium, vincere eum neque Diomedem, neque Ulixem, neque, quod plus est, Polypoetem Lapitham. Quinimo tertium quoque e triade, Teucrum in arcus certamine minore praemio dignatur poeta.

Fortuitone haec omnia? An ingrata Minervae trias fuit nostra? Conferamus alium heroem, qui iisdem in certaminibus libro Ψ descriptis praeter triadem nostram habetur ludibrio. Volumus Epeum. Vincit quidem Euryalum pugilatu, at id certaminis genus victori non nisi mediocrem poterat afferre gloriam. Periculorum, dolorum acerbiorum est plenum. Quaenam sunt praemia? Mulus et poculum nullo opere caelato insigne. Hisce cum praemiis confer illa, quae luctatoribus proponuntur: *τρίποδα δυωδεκάβοιον, γυναῖκα τεσσαράβοιον*. Apparet quantum prae ceteris ludis sorderet pugilatus. Barbarorum scilicet videbatur oblectamentum; victor autem barbarus.

Ecce autem ad aliud certamen socios provocat Achilles, ad *δισκοβολίαν*. Surgunt Polypoetes Lapitha, Leonteus Lapitha, Aiax Telamonius, Epeus. Victor evadit Polypoetes. Quid autem Epeus?

ἑξείης δ' ἵσταντο, σόλον δ' ἕλε δῖος Ἐπειός,
ἧκε δὲ δινήσας· γέλασαν δ' ἐπὶ πάντες Ἀχαιοί..

Ridendi causam non addidit poeta, at opus non erat. Intellegimus *δῖον* illum Epeum, quem supra cognovimus fuisse: „the representative of brute strength" (Leaf), qui omnium primus arripuerat discum, motibus agrestibus, iactu indecoro et infelici movisse cachinnos.

Agrestis igitur, ἀπαίδευτος, prodit ille Epeus, eponymus Epeorum Elidis incolarum antiquissimorum, quos cum Locrensibus arcte fuisse coniunctos docet Pindarus, docuerat iam Homerus loco notissimo, ubi uno versu coniunguntur

Λοκροὶ καὶ Φθῖοι καὶ φαιδιμόεντες Ἐπειοί.

Athenaeum si audimus (*X* 456 F), Epeus aliquando ὑδροφόρει τοῖς Ἀτρείδαις asinumque eodem officio fungentem vocabant Epeum.

Tam Epeus quam Aiaces Minervae favore minime gaudebat. Locrenses igitur et Epeos mythos quosdam habuisse, quibus inimicitias inter deam et heroes suos eponymos exercitatas explicarent, facile statueris neque mirabimur audientes hoc odium, quod ad Aiaces attinet, iam exstitisse inter Minervam atque illum Aiacem primarium, e quo triadem Locrensem originem suam duxisse supra coniecimus. Nam iterum monemus utriusque herois morum asperitatem, ne dicamus arrogantem morositatem, vel a Sophocle vel ab Homero cum emphasi quadam tractatam fuisse; in ea sola fuisse positam utriusque herois perniciem. Unde non abs omni verisimilitudine effeceris τὴν τοῦ Αἴαντος καὶ Ἀθηνᾶς ἀπεχθείαν, quam posteri e Cassandrae raptu explicare conati sunt, altius esse petendam. Latent eius radices in ipso solo Locrensi.

VI. De Minervae in Achaeos ira.

Nunc ante omnia agendum erit de Odysseae quibusdam locis, ubi poeta de Minervae in Achaeos ira, de reditu infelici Achaeorum, de huius reditus causis, de Iovis consiliis post Troiam captam in Graecos statutis paulo confusius loqui videtur.

Ac primum evolvamus γ, ubi legimus haec (vs. 130 sqq.):

αὐτὰρ ἐπεὶ Πριάμοιο πόλιν διεπέρσαμεν αἰπὴν
καὶ τότε δὴ Ζεὺς λυγρὸν ἐνὶ φρεσὶ 'μήδετο νόστον
Ἀργείοισ' ἐπεὶ οὔ τι νοήμονες οὐδὲ δίκαιοι
πάντες ἔσαν.

Iuppiter igitur, cum Graeci minime sapientes, ius et fas parum observantes sibi viderentur, reditum iis parare perniciosum statuit. Neque iniuria iratus erat deus optimus. Nam primum contra omne ius et fas ad eam contionem, ubi de reditu verba facere volebant, Atridae convocarant milites *ἐς ἠέλιον καταδύντα.*

Milites autem ducibus suis haud meliores venerant ebrii, dissoluti. Quid mirum eos discessisse multa post convicia, rixantes, *Ϝηχῇ θεσπεσίῃ*, noctem transegisse discordes mala omnia sibi invicem imprecantes! Quod initium malum peiora portendebat. *Ἐπὶ γὰρ Ζεὺς ἤρτυε πῆμα κακοῖο!*

Hactenus perspicua sunt omnia. Sequitur autem hoc:

τῷ (πήματι) σφων πολέες κακὸν οἶτον ἐπέσπον
μήνιος ἐξ ὀλοῆς γλαυκώπιδος ὀβριμοπάτρης
ἥ τ' ἔριν Ἀτρεΐδῃσι μετ' ἀμφοτέροισιν ἔθηκε.

Quid? Non suas sed filiae suae inflictas iniurias ultum ibat Iuppiter? Graecine igitur iam ante contionem in Minervam peccarant? Sed quid erant ausi? Altum Homerus servat silentium. Vergili autem memor citabis: „Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei!" Nempe Aiax Cassandrae vim inferre erat conatus, laeserat Minervae aram, quo refugerat virgo, non metuerat ipsum numinis simulacrum. Tum veritus ne a Graecis ob maleficium offensis lapidibus obrueretur heros fugerat....quo? Ad eandem aram, quam modo violarat, auxilium sibi implorans ab eadem dea, quam, si quis alius, laeserat. Atque hanc ob causam heroem defenderat Minerva ab Achaeis minitantibus, sed iram suam verterat in populum, qui iura eius non observata in scelestum Aiacem vindicare volebat. *Ἔπειτα ἀποπλέουσιν οἱ Ἕλληνες καὶ φθορὰν αὐτοῖς ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται* — sic legitur in Iliu Perside.

At, hercle, ubi hic sana ratio? Insanientis talia sunt! Plectuntur Achivi reges si delirant! Concedo. At defenduntur a deis delirantes illi principes, quorum ob scelera populus plectitur? Plectitur populus dum numina laesa contra regum insaniam tuetur? Plectitur, cum reges salvi abeant? Quis talia concoquit?

Sed removeamus argumenta ex Iliu Perside petita; quae

argumenta confusa et intricata videntur, quoniam cum narratione homerica simplici, ut apparebit, et pellucida coniungere conantur novam fabellam, qua ritum quemdam Locrensium explicabant posteri. Homerus enim iuxta Iovis iram ob Graecos superbientes et nefarios commotam, aliam novit iram a Minerva in Danaos conceptam, Aiacis vero scelus non novit, neque Cassandrae raptum, neque Aiacem a Graecis petitum lapidibus. Omnia quae Aiacem virginis raptorem spectant Persidi debentur, nam in ea primum, ut videtur, ritus Locrensis priscus et solemnis formam induit poeticam. Nitebatur, ut infra videbimus, hic ritus illa ipsa discordia inter Minervam et Aiaces exercitata, cuius vestigia in Homero detegimus; vigebat forte iam ritus — at non in Troade — aetate homerica, at nondum poeta epicus, quae fiebant solemnia, poeticis inventis illustrare temptaverat.

In Homero vero reperiebatur Iovis ira in Graecos abeuntes,

ἐπεὶ οὔ τι νοήμονες οὐδὲ δίκαιοι
πάντες ἔσαν!

quibus verbis (ἀδίκῳ et ἀνοήτῳ) poetam indicasse scelus Aiacis ἀνόσιον, nullus credo affirmabit, ne is quidem, quem haud fugit τὰ ἀφροδίσια interdum attice indicari voce ἀνοήτων (Ar. Nub. vs. 417; Schol.).

Iterum huius irae fit mentio γ 160 sqq.:

Ζεὺς δ' οὔπω 'μήδετο νόστον
σχέτλιος, ὅς ῥ' ἔριν ὦρσε κακὴν ἐπὶ δεύτερον αὖτις.

Sed, ut iam observavimus, iuxta hanc Iovis iram vindicias novit poeta alterius numinis cunctos in Graecos exercitatas, nempe numinis Troianae arcis tutelaris, quae licet esset victa victores salvos abire non sinebat quaeque μήνιος ἐξ ὀλοῆς

ἔριν Ἀτρεΐδῃσι μετ' ἀμφοτέροισιν ἔθηκε.

Vocatur quidem hoc numen a poeta γλαύκωπις, ὀβριμοπάτρη Ἀθηνᾶ, sed fere supervacaneum videtur observare hanc Minervam prorsus diversam fuisse ab illa, quae Achilli, Diomedi, Ulixi iterum atque iterum contra Troianos opem tulit. Usurpat illa „πρόμαχος Pergami" nomen alienum, usurpat in libro recentioris aetatis (Z) templum, quod homerica certe aetate in arce non

habuit; quinimo infeliciter fere a poeta vocatam eam esse Minervam dixeris, nam si aptiore nomine ex Olympiis petito Troiae deam tutelarem appellare voluisset, quamnam deam melius iuxta Apollinem in arce posuisset quam Dianam. Quod revera poetam non fugit, nam ubi Apollo Aeneam

ἀπάτερθεν ὁμίλου 'θῆκεν
Περγάμῳ ἐν ἱερῇ, ὅθι ϝοι (non Minervae) νηός γ' ἐτέτυκτο,
ἤ τοι τὸν Λητώ τε καὶ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα
ἐν μεγάλῳ ἀδύτῳ ἀκέοντό τε 'κύδαινόν τε. (*E* 446 sqq.).

Illa autem dea, cui Aiaces invisos fuisse dixeris, minime erat Pergami patrona, sed ipsorum Graecorum defensor, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο. Non ἡ ῥυσίπτολις sed ἡ Ἀλαλκομενηίς.

At fors tulit ut ἡ ῥυσίπτολις quoque vocaretur Ἀθηνᾶ, quinimo Παλλὰς Ἀθήνη. Sic α 326 sqq., ubi iterum ira memoratur qua dea victa victores abeuntes lacessivit, hisce verbis utitur poeta:

ὃ δ' (Phemius) Ἀχαιῶν νόστον ἄειδε
λυγρόν, ὃν ἐκ Τροίης ἐπετείλατο Παλλὰς Ἀθήνη.

Haec peculiarem causam non habebat, cur vehementius quam in ceteros Achaeos saeviret in Aiacem. Audi modo poetam δ 502 sqq.: „mortem, qua tot milia in mari perirent, effugisset heros, nisi contumacia sua iram Neptuno movisset:

καί νύ κεν ἔκφυγε κῆρα
εἰ μὴ ὑπερφίαλον ϝέπος ἔκβαλε καὶ μέγ' ἀάσθη·
'φῆ ῥ' ἀϝέκητι θεῶν φυγέμεν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.
τοῦ δὲ Ποσειδάων μεγάλ' ἔκλυεν αὐδήσαντος·
αὐτίκ' ἔπειτα τρίαιναν ἑλών κ. τ. λ."

Cum vero Pergami dea tutelaris, Minerva appellata, a posterioribus poetis pro una eademque haberetur ac Minerva illa, quae a Graecorum partibus staret, post vs. 502ª addi poterat καὶ ἐχθόμενός περ Ἀθήνῃ.

Quae verba minime spectant scelus ab Aiace secundum posteros in Cassandram commissum. Quod si quis negat, inspiciat modo *E* 107 sqq.:

δεκάτῳ δὲ πόλιν πέρσαντες ἔβησαν
ϝοίκαδ'· ἀτὰρ ἐν νόστῳ Ἀθηναίην ἀλίτοντο,
ἥ σφιν ἐπῶρσ' ἄνεμόν τε κακὸν καὶ κύματα μακρά.

Videsne illud *ἀτὰρ ἐν νόστῳ Ἀθηναίην ἀλίτοντο*, quod optime quadrat in Graecos abeuntes, qui victoria elati superbientes, ius et fas, ut docent *γ* 130 sqq., susque deque habentes *οὔ τι νοήμονες οὐδὲ δίκαιοι* erant, quare a Iove, ut voluit poeta antiquior, aut a Minerva — patrona Graecorum indignata, quam cum Pergami numine tutelari in Graecos irata coniunxerant poetae recentiores — puniebantur. *Τὰ ἐν νόστῳ* respicere Aiacis scelus nemo, credo, sibi persuadebit, neque deam, quae ob hoc scelus Aiaci esset irata, hunc suas manus effugere sivisse.

Qua re suo iure Strabo ad *δ* 502 annotavit: „*καὶ ἐχθόμενός περ Ἀθήνῃ· ἁπάντων εἰς τὸ ἱερὸν ἀσεβησάντων ἅπασιν ἐμήνιεν*". Quae si legis, noli cogitare de Cassandra, nam in Perside, quae historia fusius de raptu agit, *non* omnes impios se praebent, immo, unus modo, cum ceteri omnes deae opitulentur.

Quodnam vero ad factum spectavit Strabo? Coniecimus supra Minervam illam, quae vs. 502 memoratur, fuisse tam deam Pergami tutelarem Graecis iratam quam Graecorum patronam horum ob impietatem indignatam; duas igitur deas a recentioribus pro una habitas. Talia Strabo putasse videtur. Graeci, si eum audis, abeuntes devastarunt templum Minervae vel laeserunt deae sacra, quae in arce erant. Est igitur *ἡ πολιοῦχος θεά*, quae abeuntes malis persequitur. Unde facile effeceris Iovis iram in proficiscentes fuisse antiquiorem quam illam Minervae. Hanc enim excogitari non potuisse, antequam Minervae quoque iuxta Apollinem locus in arce esset tributus.

Omnium vero consensu versus libri Z, qui de deae templo in Pergamo agunt, interpolati sunt. Describunt deam in suo sacello sedentem; illa vero statua, quam postea Novi Ilii Minervae in aede fuisse docent nummi reperti, numinis erat stantis colum manu tenentis, *τῆς Ἐργάνης*.

Occasione oblata, quasi in parenthesi, hac quoque de interpolatione quaedam observare mihi liceat.

Z non depingit *τὴν Ἐργάνην* sed *τὴν Ἀγελείην*, Bellatricem. Causa autem exstat nulla, cur Ilienses aetatis posterioris, quibus maximi esse deberet demonstrare oppidum suum fuisse Troiam

antiquam, antiquiorem illam statuae formam — si unquam talis in arce stetisset — cum recentiore aliqua commutaverint. Immo, si statua sedens unquam revera in arce fuisset, tenaciter formam traditam servassent. Et cum ceteris in Iliadis libris nusquam Minerva intra Troiae moenia appareat, sed semper stet ab Achaeorum partibus, tute statuere possumus Troiam Iliadis — non dico Odysseae — omnino dea Minerva caruisse.

At unde petivit interpolator Minervae imaginem sedentem? Nam abripitur quidem mens Athenas ubi, ut in Z fit, deae πέπλος offerri solebat, sed Athenis ἡ Πολιάς stans aspiciebatur. Quamquam igitur, quod ad vestem oblatam attinet, cultus in Z descriptus cum Athenarum illo convenit, statuarum formae prorsus differunt. Sed et altera oboritur quaestio, unde Ilienses postea τῆς Ἐργάνης petierint formam stantem colum manu tenentem.

Erythris in colonia Atheniensium vetustissima Chio opposita Smyrnae in vicinia — quas urbes cum Homeri nomine coniunctissimas attendite — colebatur Minerva *sedens* colum utraque manu tenens (Paus. VII, 5. 9). Quoniam philologi hac quidem in re cum poeta hymni Apollinis faciunt, quod Smyrnam, aeolicam olim urbem deinde ionicam aliquid in Iliadis γενέσει fuisse putant, mirum non foret si interpolator ionicus imaginem Minervae sedentem petivisset Erythris. Colus quoque, quem Iliensium Minerva manu tenebat, hinc fortasse devenit. Imagines sedentes et alibi fuisse, puta Phocaeae, Chii constat; opinatus est Furtwängler (Rosch. Lex. I p. 690) Athenis quoque deae imaginem fuisse sedentem et revera narrat Pausanias (I, 26, 4) Endoeum Cretensem, qui imaginem sculpserat Erythraeam, similem quandam vovisse Athenis. Utraque autem quantum scimus caruit colo. Quodsi Loeschcke (A. M. IV 305) iure contendit Endoeum exstitisse medio saeculo sexto, neque iniuria coniecimus imaginem Erythraeam interpolatori libri Z fuisse exemplo, inventus est terminus post quem versus interpolati in Iliadem sunt introducti. Endoei opera singulari arte fuisse insignia apparet e Pausaniae verbis (VII, 5. 9), ubi de imagine Erythraea

habet haec: „τοῦτο ᾽Ενδοίου τέχνην καὶ ἄλλοις ἐπεκμαιρόμεθα εἶναι καὶ ἐς τὴν ἐργασίαν δρῶντες".

Nummi vero *Ilienses* incussam gerunt Palladii imaginem tam hasta quam colo munitam. In antiquioribus horum nummorum non agnoscimus palladiorum formam solitam. Minerva enim ibi non stat ποσὶ συμβεβηκόσι sed procedit, non habet hastam διηρμένην sed in humero positam. Aetate demum imperatoria solita palladii forma in nummis agnoscitur (e. g. Imhoof-Blumer Gr. M. 627, 224 VIII 3). Tute statueris *Troiae* palladium, si quod Pergami fuerit unquam, a ceteris omnibus diversum non fuisse. Cur enim urbs antiqua ut aliae non habuisset palladium pedibus adductis ξοάνου formam referens? Nonne legimus in Perside haec: „Aiax Cassandram rapiens συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον"? Nonne [Apollodori] quoque bibliotheca (III, 12 p. 143) describit palladium Troianum ποσὶ συμβεβηκὸς, δόρατι διηρμένῳ instructum, ἠλακάτῃ munitum?

Novum igitur Ilium incolentes cum nummos suos imagine deae tutelaris ornare vellent, versus libri Z interpolatos *non* respexerunt, immo, palladii formam cum pedibus adductis ita mutarunt, ut liberiore motu dea *procedere* videretur. Supra autem statuimus deae imaginem sedentem *revera* Troiae nunquam fuisse. Attamen, cum versus libri Z interpolati in Iliade locum invenerint formamque et famam huius deae sedentis divulgarint, rogaris, cur Ilienses, qui Troiam antiquam habitare se gloriarentur idque procul dubio argumentis probare tentarent, Iliadis auctoritate uti noluerint, imaginem deae sedentem nummis suis non incusserint. An verebantur, ne a ceteris Graecis redarguerentur hisce verbis: „argumentis utimini haud validis, nam versus quibus nitimini interpolati sunt"?

Non credo, nam artem criticam in his versibus ne Alexandrini quidem exercuerunt. Alia igitur causa, cur imaginem sedentem noluerint, exstitisse videtur. Nam si usi sunt imagine deae stantis vel procedentis, non potest quin haec forma iis videretur antiquior. Praevaluit igitur Palladii forma τοῦ ξοάνου ex Iliu Perside nota. Et iure praevaluit, nam licet Palladii rapti

fabulam excogitatam esse a mythologis Argivis contenderit Chavannes, homines, qui post Troiam eversam locum habitarint, notam sibi habuisse Troiani palladii formam docet tam probabilitas et palladiorum usus divulgatus quam Troianus sacrificandi mos peculiaris.

Hic quoque inter res in Z descriptas et veterrimum sacrificandi morem Troianum, aliunde nobis notum, exstat, si quid video, mira discrepantia. Nam ubi Hecuba Minervae in aedem venit — verum templum sibi finxisse poetam docet versus Z 298: *τῇσι θύρας ὤιξε Θεανὼ καλλιπάρῃος* — pollicetur

δύο καὶ δέκα βοῦς ἐνὶ νηῷ
ἤνιδας ἠκέστας ἱερευσέμεν.

Mactabantur igitur, poetam si sequimur, ipso in templo; si *coram dea* fiebat, ipsa in cella tecto adoperta. Quid vero docent nummi Ilienses? In arborem palladio oppositam boves attollebantur, deinde ab homine cultro armato in arbore sedente necabantur mugitu suo caelites quasi advocantes. (Ilion, Dörpfeld II Beil. 63 N°. 68, 69). Qualem ritum respicit Plato Critias 119 E: *„ὃν δὲ ἕλοιεν τῶν ταύρων πρὸς τὴν στήλην προσαγαγόντες κατὰ κορυφὴν αὐτῆς ἔσφαττον."*

Est, quod ab Troianis vocatur in quodam decreto, *ἡ νομιζομένη καὶ πάτριος θυσία* (Michel Recueil 525); sacrificandi modus perantiquus latitans in umbra temporum praeterlapsorum, atque hanc ob causam a Platone, ubi de Atlantide agit, veluti de prisca civitate, data opera inter consuetudines relata.

Palladium igitur *quo praesente* boves immolabantur *sub divo* stetisse verisimile est, minime vero, ut versus Z 298 sqq. docere videntur, *sub aedis alicuius tecto.* An est, qui conferat Herodoti locum VIII, 55: *„ἔστι ἐν τῇ ἀκροπόλι νηός, ἐν τῷ ἐλαίη τε καὶ θάλασσα ἔνι"*, ita ut cella et arbor stans sub divo in Z quoque reperiantur? At arbor Atheniensis sacra erat ipsa, non erat adminiculum quod cultui inserviebat.

Antiquissimum igitur ritum aetate historica nondum fuisse intermortuum docent nummi supra laudati. Hoc ipso loco, ubi nunc habitabant, aliquando alio modo sacrificatum esse deae

sedenti scire quidem poterant Ilienses ex Iliade, attamen hoc modo tacite praetermisso ad antiquissimum ritum redierunt. Unde iterum apparet Ilienses versus libri Z interpolatos non respexisse.

Sed ad propositum nostrum redeamus. Odium divinum, quod in Odysseae partibus antiquioribus perdidit Achaeos redeuntes, Iovis quoque erat odium. Fusius hoc demonstravit novoque argumento exponere conatus est Cypriorum carminum poeta. Legimus enim in Cypriorum fragmento primo: [*Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή*]· *φασὶ γὰρ τὴν γῆν βαρυνομένην ὑπ' ἀνθρώπων πολυπληθίας, μηδεμιᾶς ἀνθρώπων οὔσης εὐσεβείας, αἰτῆσαι τὸν Δία κουφισθῆναι τοῦ ἄχθους.*

Idem hic affertur argumentum atque repperimus in versibus:

Ζεὺς λυγρὸν ἐνὶ φρεσὶ 'μήδετο νόστον
Ἀργείοισ', ἐπεὶ οὔ τι νοήμονες οὐδὲ δίκαιοι
πάντες ἔσαν,

nempe hominum *ἀσέβειαν* causam fuisse tam Iovis odii in Homero quam Iovis consilii in Cypriis hominibus perniciosi. Observa utroque loco tam in Iliadis initio quam in narratione de Achaeorum reditu Iovem, ut perderet Graecos, inter duces movisse discordiam.

Ira illa Iovis hominum ob impietatem mota posteris poetis epicis argumentum videtur fuisse perquam amatum. Fata igitur heroum ex Asia redeuntium cum carminibus celebrari coepta essent et poetis narrandum esset, ubi tandem ingens ille numerus populorum circa Troiam pugnantium mansisset — nam in Graeciam revertisse eos negabat historia —, tunc poetae ad argumentum saepius probatum confugerunt Iovisque odium ex impietate mortalium natum pro omnium interitus causa attulerunt. Neque huius impietatis documenta nimis longe erant petenda: quid enim magis in promptu, quam victores solita post victoriam recuperatam incuria instituta religione sacrata neglexisse, mores maiorum parum observasse. Postea vero, cum e Perside Aiacis stuprum in Odyssea ignotum innotuisset, Minervae odium in Achaeos redeuntes, quod iuxta illud Iovis in

Homeri carminibus reperiretur, facile videri poterat ob Aiacis scelus esse commotum; sed potius amplectebatur tria argumenta: inimicitias inter Minervam et Aiaces certis indiciis in Ψ indicatas; vindicias Troianae deae tutelaris in victores urbis suae actas; Minervae iram Iovis illi similem ob victorum immodestiam motam. Tria haec argumenta, quae haud dubie aliquando a rhapsodis fuse tractabantur, admodum parva vestigia in Homericis reliquerunt, at vestigia sunt, quae semel monitum lectorem fugere nequeunt.

Ceterum de naufragiis Achaeorum in reditu factis pro certo valet Vergilianum: „quidquid delirant reges plectuntur Achivi"; nam ubi tot naves, tot milites peribant,

ἀρχοὶ δ' αὖ δύο μοῦνοι Ἀχαιῶν — ἐν νόστῳ ὄλοντο,

nimirum Aiax minor et Agamemnon.

Quamquam Agamemnonis mortem Iovi imputare minime licet. Iovem enim hanc mortem noluisse testantur α 38 sq.:

Ἑρμείαν πέμψαντες ἐύσκοπον Ἀργεϊφόντην
μήτ' αὐτὸν (Agamemnonem) κτείνειν,

neque Agamemnon ἐν νόστῳ mortuus esse dici potest.

Aiax quoque invitis Iove, Minerva, Neptuno effugisset mortem, nisi exstitisset fama popularis, quae in Aegaeo mortem eum obiisse ferret. Qua de re mox plura. Nunc vero statuere licet, odium illud sive Iovis fuit sive Minervae multa milia hominum, qui Troia capta in Graeciam non reverterunt perdidisse, sed quod ad heroes attinet, procellam illam in mari Aegaeo potius fuisse procellam in simpulo.

VII. Pauca de Minervae in Iliade partibus.

Minervae, qualis in Iliade aspicitur, sub persona latent duae deae. Altera est Minerva, quae Graecorum a partibus pugnat, quae Diomedis ascendit currum, quae fulmine armata procedit.

Depingitur Palladiis antiquissimis telum vibrantibus simillima; vocatur Obrimopatra, Alalcomeneis, Itonia. Ecce e. g. *E* 736 sqq.:

ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο
τεύχεσιν ἐς πόλεμον 'θωρήσσετο δακρυόεντα
ἐς δ' ὄχεα φλόγεα πόσ' ἐβήσετο, λάζετο δ' ἔγχος
βριθὺ μέγα στιβαρόν — Ἀλαλκομενηὶς Ἀθηνή.

Est dea quam gloriantem audimus apud Aesch. Eum. vs. 827:

καὶ κλῇδας οἶδα δώματος μόνη θεῶν
ἐν ᾧ κεραυνός ἐστιν ἐσφραγισμένος.

Iovis ut induat arma exuit *πέπλον | ποικίλον ὅν ῥ' αὐτὴ 'ποιήσατο καὶ 'κάμε χερσί*; vestem igitur, qualem *Ἀθηνᾶ 'Εργάνη* tam suum ipsius in usum quam ceterarum dearum in commodum facere solebat. Eiusmodi peplum quinto quoque anno ab *ἐργαστίναις* Atheniensibus accipiebat.

Altera est Minerva cuius in Z fit mentio, quae, quasi esset urbis patrona, templo in arce praedita describitur. Ut Erythraea Minerva sedens in throno depingitur, donatur peplo non quidem die festo, sed quo tempore matronae Troianae opem eius deprecantur.

E versibus Z 302 sqq.:

ἡ δ' ἄρα πέπλον ἑλοῦσα Θεανὼ καλλιπάρῃος
'θῆκεν Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠυκόμοιο
εὐχομένη δ' ἠρᾶτο Διὸς κούρῃ μεγάλοιο·
„πότνι' Ἀθηναίη, ῥυσίπτολι, δῖα θεάων,
Ϝᾶξον δὴ ἔγχος Διομήδεος ἠδὲ καὶ αὐτὸν
πρηνέα δὸς πεσέμεν

apparet hanc quoque deam ut Itoniam tam Erganam quam Promachum fuisse — ut ipsa res ferebat. Alibi in Iliade non reperitur, quinimo unico loco ubi in scaenam procedit opem deploratam Troianis denegat:

ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη!

Quid huic numini cum Troianis? Nihil certe. Neque inimicitiae, quae inter Minervam et Aiaces exstant, haberi possunt pro solemnibus inimicitiis, quales inter urbis cuiusdam patronam et huius urbis oppugnatores vigere solent. Nam nequaquam ut

Troiae hostes Aiaces a Minerva in *Ψ* ludibrio habentur. Huius odii causa et principium in Graecia quaerenda sunt. Quod idcirco memoria tenendum esse iudicamus, quoniam nostris diebus Bethius probare conatus est ante alios omnes Telamonium Troianorum habendum esse hostem (Homer und die Heldensage; Die troj. Ausgr. und die Homerkritik). Unde facile — sed falso si quid videmus — deduxerit aliquis Minervam utpote *ϱυσίπτολιν* persecutam esse Aiacem.

At non cum Minerva (cuius numinis ut in *Z* describitur posteri rationem habuerunt nullam testibus nummis Iliensibus, teste quoque sacrificandi ritu in Troade solemni), sed cum Apolline, cum Diana et Latona, Aiax identidem dimicare debuerat. Hi enim Troiam defendunt, hi habent templum in arce (*E* 446). Nec mirum. Apollo enim ab origine Graecus non erat; velut tot aliis locis maritimis Asiae Minoris sic Troiae quoque sedem habebat.

Saepius observarunt viri docti Homerum inter Troianos et et Graecos nullam fere discrepantiam sive morum, sive cultus, sive linguae constituisse. Unam autem discrepantiam poetam paene servasse dixeris, nempe Minervam cum Graecis Apollinem cum Troianis pugnasse. Sed ne haec quidem differentia intacta mansit. Supra iam egimus de Minerva, hic sequatur exemplum, quî Apollo ad castra Graeca transmigrarit. Quantum scimus, hodiernos hucusque fugit vera vis loci. Audimus enim in libro X, in fine Iliadis antiquissimo, Graecos Hectoris ob mortem laudibus honorasse numen coeleste, ut tragoedia peracta choreutae de scaena discedere solent illum deum celebrantes, cuius potestas et voluntas in fabula quam maxime spectatorum animos commoverint. Exspectarit igitur aliquis Graecos ob victoriam reportatam si quem alium laudasse Minervam. Non ita est. Ecce versus:

νῦν δ' ἄγ' ἀείδοντες παιήονα, κοῦροι Ἀχαιῶν,
νηυσὶν ἐπὶ γλαφυρῇσι νεώμεθα, τόνδε δ' ἄγωμεν·
„ἠρόμεθα μέγα κῦδος· ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον
ᾧ Τρῶες κατὰ Ϝάστυ θεῷ ὣς ηὐχετάοντο". (*X* 391—394)

Acute observavit scholiasta ad ultimos duos versus: „οὗτος ἐστὶν ὁ παιάν“. Id enim Graeci abeuntes cecinerunt. Sed cuinam deo canitur ὁ παιάν? Si quis nescit inspiciat *Α* 473 sq.:

καλὸν ἀείδοντες παιήονα — μέλποντες ϝεκάϝεργον!

Apollini nimirum. Hunc igitur concelebrant Achaei, quoniam tantum non ceperunt... Apollinis urbem!

ἔλιπεν δέ ϝε Φοῖβος Ἀπόλλων.

VIII. De Aiacis natura, cultu, origine.

Aiax in Iliade partes agit minime spernendas; inter pares facile princeps est, Achilli autem est suppar, quare Bethius (Die Trojanischen Ausgrabungen und die Homerkritik) Aiacem appellavit Troiae hostem acerrimum. Dum Achilles stomachatur pugnat Aiax. Hic naves defendit, Patroclis cadaver Troianis eripit, bis cum Hectore certamen init singulare. Qui horum certaminum fuerit exitus, minime incertus est. *Η* 271 aspicimus Hectorem magno lapide, quem iecit Aiax, resupinum humi constratum nec nisi Apollinis ope servatum:

ὃ δ' ὕπτιος ἐξετανύσθη,
ἀσπίδ' ἐνιχριμφθείς· τὸν δ' αἶψ' ὤρθωσεν Ἀπόλλων.

Ξ 418 simili modo superatus Hector humi sternitur; validissimi autem Troiani Graecorum manibus eum surripiunt:

ὣς ἔπεσ' Ἕκτορος ὦκα χαμαὶ μένος ἐν κονίῃσι
οἳ (Troiani) τόν γε προτὶ ϝάστυ 'φέρον βαρέα στενάχοντα.

Male ab hoc certamine in textu nostro divulsum est episodium pulcherrimum *Ν* 789—837, ubi extant Aiacis in Hectorem minae, quae statim nos de ultimo Hectoris et Achillis certamine admonent:

813 ἦ θήν πού τοι θυμὸς ἐϝέλπεται ἐξαλαπάξειν
νῆας· ἄφαρ δέ τε χεῖρες ἀμυνέμεν' εἰσὶ καὶ ἧμιν.
ἦ κε πολὺ φθαίη, ἐὺ ναιομένη πόλις ὑμή,
χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσι ϝαλοῦσά τε περθομένη τε.

σοὶ δ' αὐτῷ φημὶ σχεδὸν ἔμμεναι, ὁππότε φεύγων
ἀρήσῃ Διὶ πατρὶ καὶ ἄλλοισ' ἀθανάτοισι
θάσσονας ἰρήκων ἔμεναι καλλίτριχας ἵππους,
οἵ σε πόλινδ' οἴσουσι κονίοντες πεδίοιο.

Ubi vero Aiacis maioris in Iliade exstant facta? Inveniuntur *H* 1—312; *N* inde a vs. 809; *Ξ* 402—finem; *O* 415—fin.; *P* 104—140; passim in ceteris versibus libri *P*.

Post Ἀχιλλέως ἀνάστασιν subito tam altum de Aiace servatur silentium — paucis versibus in *Ψ* exceptis —, ut si forte septemdecim libri praecedentes interiissent, e ceteris septem vix efficeres unquam Aiacem quendam exstitisse.

Neque dici potest in ultimis septem libris Aiacem in Achillis latuisse umbra, quoniam revera nullus in iis Aiax existit. Cuius silentii minime deest causa. Aiax enim πελώριος ingenti sua statura, clipeo suo praegravi ad hostem persequendum minime aptus est: defensor est navium, tuetur iacentes; verum ἕρκος Ἀχαιῶν tum demum suas agit partes, cum Troiani castra Graeca aggrediuntur. At simulac repulsi fuga salutem quaerunt Troiani urbem celeri cursu repetentes, tum opus est Achillis pedibus celerrimis, quos ne Hector quidem effugere potuit.

Fac igitur Iliadem dividamus bipartito ita, ut prior pars contineat Graecorum castrorum oppugnationem, altera Troianorum repulsorum fugam, tum apparebit utramque partem peculiarem sibi suum habuisse heroem: priorem Aiacem, alteram Achillem. Neuter Troiam cepit, nam hanc ad rem neque opus erat τῷ ἕρκεϊ Ἀχαιῶν neque τῷ πόδας ὠκέι, sed opus erat τῷ πτολιπόρθῳ.

De Troiae vero oppugnatione cum paucis agat Ilias nostra, omnino autem non agat de Troia capta, Ulixes vix in Iliadis ambitu partes suas invenit. Nam tertia trilogiae pars abest. Videmus Achillem, qui altera in parte Hectorem persequitur ac interficit; videmus Aiacem, qui in parte priore, ubi Graeci usque ad Hellesponti litus repulsi aegre naves suas defendunt, surgit defensor qui cedere nescit. Neque iniuria summus poeta ingenti eum instruxit scuto: est enim defensor oppugnatorum, est Hector Graecus. Non ibi nomen Aiacis laudibus efferri

potest, ubi Graeci bellum inferunt, oppida expugnant; tunc magnus heros carminibus dignum se praestat, ubi Graeci, qui ad oppugnandum venerunt, ipsi repulsi, in angulum detrusi oppugnantur. Celebratur igitur Aiax in maiore Iliadis parte. Iliadis enim nostrae, cui deest *Τρoίας ἅλωσις*, ut ita dicam, Odysseis, maiorem partem occupat Aianteis (castrorum graecorum oppugnatio) quam Achilleis (Troianorum fuga, Hectoris caedes); quamquam Achillis nomen clarius iam in carminis initio lectorum animum in se vertens Aiaci haud parvum detrimentum attulit.

Est alia quoque res observatu dignissima. Nullus fere est heros sive in castris graecis sive in troianis, quin interdum ab aliquo numine adiuvetur. Certatim Iuno et Minerva heroibus opitulantur sive pugnantibus sive fugientibus. Agamemnonem harum dearum sub auspiciis in pugnam descendentem ostendit nobis *Δ* 44 sq.:

ἐπὶ δ' ἐγδούπησαν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη
τιμῶσαι βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Menelaum in eo ut Pandari sagitta mortali conficiatur a Minerva periculo exemptum videmus *Δ* 128 sq.:

Διὸς θυγάτηρ ἀγελείη
ἥ τοι πρόσθε στᾶσα βέλος ἐχεπευκὲς ἄμυνε.

In *E* ipsa Minerva Diomedis adscendit currum. Eadem dea nusquam non opem fert Ulixi. Patroclo, ubi Troianos in fugam conicit, Iuppiter ipse adest. In certamine inter Achillem et Hectorem habito Troianum potius Minervae dolis quam vi et armis Achillis superatum esse dicas. Apollo diu fidum socium se praestat Hectori. Aeneas a matre hosti ereptus ab Apolline servatur, a Diana sanatur.

Aiax autem solus nulla deorum ope confisus init proelium. Iovem quidem pro eo invocant Achaei antequam cum Hectore certamen init, sed Iuppiter utrumque pariter adiuvat vel potius non adiuvat. Nam licet Apollo Hectorem iacentem erigat (*H* 272), de ope a Iove vel Hectori vel Aiaci allata altum poeta servat silentium.

Ita, cum nullus exstat locus, ubi peculiari cuiusdam numinis ope heros noster in proelio adiuvatur, mirabundi legimus ver-

sus, quibus incipit liber *N*. Neptunus ibi *τὼ Αἴαντε* ad pugnam incitat remedioque, quo alibi in Iliade nullus deus utitur, ad certandum magis eos reddit idoneos:

ἦ, καὶ σκηπανίῳ γαιήοχος ἐνοσίγαιος
ἀμφοτέρω κεκοπὼς ’πλῆσεν μένεος κρατεροῖο,
γυῖα δ’ ἔθηκεν ἐλαφρά, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθε.

Miri versus; cur enim pedes celeriores redduntur iis, quos modo obsecravit deus, ut firme insistentes Hectorem repellant. Magis versus placet *E* 122, ubi Minerva Diomedem ad hostem persequendum viribus novis corroborat:

τοῦ δ’ ἔκλυε Παλλὰς Ἀθήνη,
γυῖα δ’ ἔθηκεν ἐλαφρά, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθε,

nulla vero virga magica adhibita. Talia enim ab Iliade sunt aliena meliusque quadrant in Odysseam (*κ* 238, *ν* 429, *π* 172). *Ω* 343 excipimus, quoniam ibi, ut in Odyssea, Mercurius deorum est nuntius.

Accedit, quod *σκηπάνιον* seni potius regi, qualis est Priamus (cf. *Ω* 247), attribuamus, quam deo robusto, qui *τρίαιναν* gestare solet (*M* 27). „At", dixeris, „Neptunus ibi induit Calchantis figuram". Id ipsum prodit *τὸν φαῦλον ποιητήν*. Calchantis enim non erat heroes baculo ad pugnandum incitare, quod exspectaris de Agamemnone, de Ulixe, non de vate. Deus quoque sua forma servata facere id potuit, ut faciunt Circe, Minerva (*κ* 238, *ν* 429). Quare Leafio adstipulamur, qui totum libri *N* initium (1—125) ab Iliadis stilo simpliciore alienum esse statuit.

Quanto melius placet ille Neptunus, qui Aiacis minoris superbiam indignatus *τῇ τριαίνῃ* apud Myconum eum perdidit, eodem igitur telo usus, quo superarat Titanes ([Apollod.] I, 2, 1).

Initio igitur libri *N* excepto locus restat nullus, ubi Aiaci proelium vel ineunti vel exeunti divinum praebeatur auxilium, nam licet aquila adsit Aiaci, ubi Hectori instantem mortem praedicat, merum fuisse omen testantur versus:

ὣς ἄρα Ϝοι Ϝειπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις,
αἰετὸς ὑψιπέτης· λαὸς δ’ ἐπεϜίϜαχ’ Ἀχαιῶν
θάρσυνος οἰωνῷ (*N* 821 sqq.).

Dixeris forte cunctis ex Olympiis Neptunum Aiacibus favisse, quia, quamdiu liceret, Aiaci pepercerit nec nisi invitus interfecerit. Quinimo exstitit quaedam fabula, qua non Neptuno sed ipsi Minervae Aiacis mors imputabatur, nam Vergilius cecinit Aen. I 42 sqq. de Minerva:

ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,
disiecitque rates, evertitque aequora ventis;
iilum expirantem transfixo pectore flammas
turbine corripuit scopuloque infixit acuto.

Unde haec sumpsit Vergilius? Idem invenitur apud Hyginum (fab. 116) et in nummo quodam epicnemidio apud Eckhel (D. N. vet. 2. 191). Macrobius vero (Sat. V 22) annotat: „nec hoc sine auctoritate Graecae vetustatis est" revocatque ad Euripidis Troiadum initium, ubi legimus Iovem filiae suae dedisse:

πῦρ κεραύνιον
βάλλειν Ἀχαιοὺς ναῦς τε πιμπράναι πυρί (vs. 80 sq.).

Plinius praeterea memorat (XXXV, 9) fuisse picturae argumentum: „Aiacem fulmine incensum" ab Apollodoro Atheniensi factae.

Quanto acriorem adversarium habuit Ulixes Neptunum! Sed hac quoque in re Ulixes et Aiax inter se differunt, quod ille constanter Minervae usus est amicitia, hic autem numquam non Minervam ad perniciem suam et dedecus paratam sibi invenit.

Nullus auctor fusius egit de Aiacis naufragio quam Quintus Smyrnaeus, qui in libro XIV⁰ herois depingens superbiam alia dixit et haec:

φῆ δέ, καὶ εἰ μάλα πάντες Ὀλύμπιοι εἰς ἓν ἵκωνται
χωόμενοι καὶ πᾶσαν ἀναστήσωσι θάλασσαν,
ἐκφυγέειν·

neque miramur Neptunum auditis verbis: „καὶ πᾶσαν ἀναστήσωσι θάλασσαν" ira exarsisse, quamquam hucusque Aiaci peculiarem ostenderat favorem. Huius enim numinis auxilio Aiax servatum se sciebat. Nonne, cum tot viros aequore haustos tot naves circum se mari submersas heros videbat,

Γυρῇσίν μιν πρῶτα Ποσειδάων ἐπέλασσε
πέτρῃσιν μεγάλῃσι καὶ ἐξεσάωσε θαλάσσης?

Sed suo ipsius fato Aiax coactus fuisse videtur, ut unum deum, qui bene ei vellet, a se averteret atque in se armaret. Scilicet ut Gyris in rupibus exstingueretur. Dixeris exstitisse fabulam popularem, quae Aiacem hoc loco i. e apud Myconum mortuum vellet.

Locus revera erat peculiaris, nam Strabo (X p. 487) memorat: „*Μύκονος ὑφ' ἣ μυθεύουσι κεῖσθαι τῶν γιγάντων τοὺς ὑστάτους*". Gigantum igitur ultimos ibi interiisse ferebat mythus, ubi Aiax uno omnium deorum, qui eum adiuvabat, superbia laeso vitam amiserat. Heros, qui nullo divino auxilio fruebatur, qui maior esse videbatur, quam cui tali auxilio opus esset, quem tamen Neptunus adamabat, interierat Minervae fulmine percussus quo loco et Gigantes de superbia sua in deos manifesta poenas ultimas dederant. Audiamus Quintum, qui *οὐδεμίᾳ ὑπονοίᾳ* usus, sed fortuito, Aiacem circumnatantem sic descripsit:

Αἴας δ' ἄλλοτε μὲν περινήχετο δούρατι νηός,
ἄλλοτε δ' αὖ χείρεσσι διήνυεν ἁλμυρὰ βένθη,
ἀκαμάτῳ Τιτῆνι βίην ὑπέροπλον ἐοικώς. (XIV 548 sqq.).

Mira profecto comparatio! Aiax minor, *ὁ ὀλίγος*: *ἀκαμάτῳ Τιτῆνι ἐοικώς* atque in ea ipsa regione, ubi *οἱ ὕστατοι Γίγαντες ἀπέθανον*. Non nescimus: Quintus imagine modo est usus, nil voluit amplius; sed res miranda manet. Adde et hoc: Aiacis mortis aliam quaesiverunt causam auctores posteriores, nempe Cassandrae raptum; alium quoque tradiderunt locum, ubi Aiax perisset! In Cycliis enim carminibus (*Νόστοις*) promunturium est Caphareum, ubi heros interit Neptuni tridente. In antiquissimo vero mytho, qui narrabat Aiacem apud Gyras ipsius fortasse Minervae manu interiisse, pro causa afferebatur neque Cassandrae raptus neque aliud quid, quam Minervae in Aiacem odium. Odium vero hoc internecivum unde provenit?

Philostratus (Heroic. 707) in Aiacis exitu describendo multis partibus a narratione vulgari discrepat. Nam post Cassandrae raptum Agamemnon edicit, Minervam propositum sibi habere, ni quantocius Achaei interimant Aiacem, totum Achaeorum exercitum exstinguere. Qua fama perlata Aiax minor Palamedis

mortis bene memor cito parvum nactus navigium noctu Troiam relinquit, quo in itinere apud Gyras submergitur. Cuius exitus nuntio ad exercitum perlato Graeci ingenti dolore et luctu animis afficiuntur. Itaque navem ligno expletam, rogi in formam instructam, nigris victimis caesis oneratam incendunt velisque sublatis ventis ab Ida flantibus committunt.

Haec fabula caret additamento, quo in Odyssea mythus de odio inter Aiacem et Minervam internecivo obscuratur; alio enim argumento — ab Aiace alieno — hoc cum odio coniuncto in Odyssea res fit intricatior. Abest enim apud Philostratum procella, qua Minerva totam Graecorum classem vexasse ferebatur. Id modo docemur: Aiacem naufragium fecisse apud Gyras; huiusce calamitatis causam fuisse Minervae iram; Graecos heroi tulisse inferias.

Sed in Locride quoque de Aiacis honoribus, de inferiis quibusdam audimus. Primum habebantur ibi *ἀγῶνες*, sacrificiis coronisque *τὸν Αἰάντειον βωμὸν κατεκόσμησαν*; *ἐτίματο* Aiax *ἐν τῇ Λοκρίδι ἶσα θεῷ. Κενοταφίῳ* herois pro *βωμῷ* utebantur incolae *ἐν Ὀποῦντι* (schol. Pind. Ol. IX 161—167). Verum enim sepulcrum Myconi erat (Aristot. Pepl. 16), apud *Αἴαντος πέτρας* (Hygin. f. 116).

Quid vero — nam quod narravimus de agonibus, de ara, de coronis, differt ab inferiis — fiebat *ἐν Ὀποῦντι*?

Audiamus Tzetzen ad Lycophr. 365: „*μαθοῦσα δὲ ἡ Λοκρὶς ἅπασα τὸ συμβὰν ἐπὶ χρόνον ὅλον μελανηφοροῦσα τὸν ἄνδρα ἐπένθησε καὶ ἐτησίως ὁλκάδια πληροῦσα θυσιῶν μεγαλοπρεπῶν καὶ πῦρ ἐμβάλλουσα τῇ ὁλκάδι ἐξαρτῶσά τε μέλαν ἱστίον αὐχένων χωρὶς ἔπεμπε πρὸς τὸ πέλαγος κατακαίεσθαι θυσίαν τῷ ἥρωι.*"

Naviculae igitur expletae sacrificiis magnificis incendi solebant; incensae vero velis sublatis gubernaculo remoto in mare inmittebantur inferiae heroi.

Comparatis inter se quae tradidit Philostratus atque quae de Locrorum ritu solemni servavit Tzetzes, statim apparet fabulam Philostrateam non de nihilo fuisse fictam, revera morem navicularum sacrificandarum in Locride exstitisse.

Quaeritur quid ille mos sibi voluerit. Fortasse sunt, qui ex

aliorum populorum ritibus subsidium petendum esse ducant. Sic legimus apud Usenerum τὸν μακαρίτην in libro ditissimo „Sintflutsagen" p. 216 sqq.: „Altskandinavische sitte war es den scheiterhaufen für einen könig oder helden in einem schiffe zu schichten, das nach der entzündung des scheiterhaufens den meereswellen überlassen wurde. Nach dem aufhören der leichenverbrennung lebte jener brauch insofern fort, als man die leichen in kleinen kähnen oder ähnlich gestalteten särgen beisetzte, oder dass man, wie in Schweden, dem grabmal aus stein die gestalt eines schiffes zu geben suchte. Die Russen an der Wolga übten ganz ähnlich wie die Skandinavier die leichenverbrenning auf einem schiffe aus. Nur pflegten diese das Schiff nicht abzustossen. Ausdrücklich wird der glaube hervorgehoben, dass je schneller der verstorbene so verbrenne, er um so schneller ins paradies geführt werde." Estne igitur navicula in Locride combusta vehiculum quo Aiax in Elysium transferendus erat? At talia non repetuntur, non fiunt ἐτησίως!

Animadvertendum et hoc: Opunte Aiacis erat cenotaphium, *sepultum* apud Myconum eum ferebant. Quotannis igitur navem ei mittebant, quae sive ipsa in terra comburebatur — solito more τῶν ἐναγιζόντων — sive incensa fluctibus tradebatur; vela huius navis colore τοῖς ἐναγίσμασι proprio i. e. nigro erant ticta.

Dixeris Aiaci quasi daemoni, cui ut Neptuno tam terrestria, quam maritima cordi essent, dona votiva quotannis missa esse. Scimus Salamine et Athenis, ubi Αἰάντεια agebantur, non minimam huius caerimoniae partem fuisse ἅμιλλαν νεῶν (Mommsen Feste p. 462 sqq.); memoria quoque tenemus Graecos pugnam Salaminiam inituros εὔξασθαι πᾶσι τοῖς θεοῖς, αὐτόθεν δ' ἐκ Σαλαμῖνος Αἴαντά τε καὶ Τελαμῶνα ἐπικαλέσασθαι (Herod. VIII, 64), quod — concedimus — perbene facere poterant, si inter Aiacem Telamonem et mare nulla exstabat ratio. Quidvero, si forte inter utrumque heroem et mare talis aliquando exstiterit ratio, nonne melius explicari possint navicularum sacrificium, navium certamen in Aianteis, heroum praesentia navali in pugna, sepulcrum medio in Aegaeo, auxilium soli Aiaci a Neptuno in

procella praebitum? Quid denique, quod in Iliade Aiax solus navium surgit defensor? Audiamus poetam *O* 674 sqq.:

νηῶν ἴκρι' ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων,
'νώμαε δὲ ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσι,
κολλητὸν βλήτροισι δυωκαιϝεικοσίπηχυ·
'φοίταε μακρὰ βιβὰς, φωνὴ δέ ϝοι αἰθέρ' ἵκανε.
αἰεὶ δὲ σμερδνὸν βοάων Δαναοῖσ' ἐκέλευε
νηυσί τε καὶ κλισίῃσιν ἀμυνέμεν'.

Nonne hos versus legens atque relegens exclamarit aliquis, maius quid, quam heroes esse soleant, huic Aiaci infuisse?

Sed nondum coniecturis indulgendum videtur, antequam de Telamonis natura accuratius inquisierimus. Quo facto, si lectorum animos ad rem obscuriorem iudicandam propensiores fortasse reddiderimus, melius strata erit via, qua investigatio nostra procedere poterit.

IX. *Τελαμώνιοι.*

E 655 sqq. Sarpedon dux Lyciorum hasta perfodit Tlepolemum Herculis filium, qui Rhodo naves novem Troiam duxerat. Tlepolemus enim patruo occiso Argis Rhodum fugerat. Rhodii vel potius Argivi Rhodum habitantes simul cum Lyciis adversariis suis suum heroem in Iliadem introduxerunt. Tlepolemus autem cum adesset, a carmine epico abesse non poterat pater Hercules. Sed, ut res ferebat, non cum Priamo verum cum Laomedonte bellum eum gessisse, quod utriusque aetati magis conveniebat, rhapsodi cantabant.

Fabulam igitur Argivam de Perseo et Andromeda Argivi (Rhodii) transtulerunt in Herculem et Hesionam: a monstro marino Neptuni iussu vitae virginis minitante heroem miseram defendisse, Laomedontem enim filia sua monstro proiecta solvisse poenas, quod pro moenibus Troianis exstructis

mercedem Neptuno denegasset. Herculem autem beluam aggressum auxilio non caruisse, cum Troiani duxissent aggerem, quo monstri impetum effugere posset (*Υ* 146). Virgine vero servata Laomedontem iterum infidum se praestitisse: equos enim mortales pro immortalibus Herculi dedisse. Hunc vero non statim poenas a fraudatore exegisse. Immo in Graeciam eum reversum naves armasse sex, convocasse et alios heroes et Telamonem — alterius itineris Argonautarum ad instar, sed sex navibus usum. Tunc demum *ἐξαλαπάξαι* Herculem *τὴν πόλιν*, *χηρῶσαι δ' ἀγυιάς* (*E* 638 sqq). Telamoni vero, cum ante omnes moenia conscendisset, praemio datam esse virginem servatam, e qua procrearit Teucrum.

Fabula Rhodia ita igitur amplificata est, ut Telamo quoque in Iliade obtineret locum. Alteram amplificationem, qua et Aeacum huic fabulae annexum fuisse docemur, refert Pindarus (Ol. VIII, 30), qui de Aeaco habet haec:

τὸν παῖς ὁ Λατοῦς εὐρυμέδων τε Ποσειδᾶν
Ἰλίῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον τεῦξαι καλέσαντο συνεργὸν τείχεος.

Socium laboris Aeacum sibi ascivisse Neptunum et Apollinem docet poeta. Acute observavit Didymus: „*ἰδίως καὶ τούτοις χρῆσθαι τὸν Πίνδαρον. τὸν γὰρ Ποσειδῶνα καὶ Ἀπόλλωνα εἰς τὴν τοῦ τείχους κατασκευήν φησι τὸν Αἰακὸν προσλαβεῖν, ἵνα διὰ τούτου τοῦ μέρους τοῦ ὑπὸ Αἰακοῦ οἰκοδομηθέντος ἁλώσιμος γένηται ἡ Ἴλιος*".

Sequitur enim apud Pindarum (vs. 41 sq.), Apollinem vaticinatum esse Aeaco:

Πέργαμος ἀμφὶ τεαῖς, ἥρως, χερὸς ἐργασίαις ἁλίσκεται,

quibus verbis respicitur et exornatur locus ab Aristarcho obelo notatus *Z* 433 sq.:

λαὸν δὲ στῆσον παρ' ἐρινεόν, ἔνθα μάλιστα
ἀμβατός ἐστι πόλις καὶ ἐπίδρομον ἔπλετο τεῖχος.

Sed haec nunc mittimus. Qui vero quaerit, unde Aeacus, unde Telamo irrepserint in Iliadem, non potest quin oculos convertat Aeginam, Salaminem, Athenas.

Iuppiter enim Aeginam Asopi filiam „luserat ignis"; filium

ex ea genuerat Aeacum. Hic duxerat Endeidem Scironis filiam — est Sciradeum Salaminis promunturium — unde natus Telamo, qui Salaminius igitur secundum hanc fabulam fuit.

Vidimus, quî amplificatio fabulae Rhodiae, quae cum Tlepolemo inceperat, mox plures heroes introduxerit in Iliadem. Telamo exempli gratia haud dubie aliquantisper carminibus Salaminiis est celebratus. Saeculo vero sexto, postquam Athenienses occuparunt Salaminem phylamque Aiantidem ceteris novem addiderunt, Aiantidae heroes suos omnes — Telamonem quoque — in Iliadem recipi voluerunt. „Auch ein attisches scolion spricht die tendenz unumwunden aus: „*τὸν Τελαμῶνα πρῶτον, Αἴαντα δὲ δεύτερον ἐς Τροΐαν λέγουσιν ἐλθεῖν Δαναῶν καὶ Ἀχιλλέα*". Des Herakles hat man hier ganz vergessen; selbst Achilleus ist nur annex. So mögen die nachkommen des Eurysakes oder Philaios gesungen haben". (Wilamowitz Herakles p. 32).

Quidquid igitur Telamo *ὁ ἀγανός* fuit antequam Salamine heros habitus est atque patre ibi usus est Aeaco, qui et ipse e Thessalia vel certe e regione Maliaca Salaminem emigrarat, — statuimus hac ex insula in cuius vicinia quattuor nomina aliunde oriunda, Aeacus, Telamo, Aiax, Teucer, genealogice coniuncta erant, Telamonis nomen una cum Philaidis Athenas commigrasse atque ibi a rhapsodis in Iliadem esse insertum. Neque abundant loci ubi commemoratur (*Θ* 283, *N* 177, *P* 293, *P* 284, *λ* 553).

Sed *Τελαμώνιοι* in carmine epico dicuntur tam Aiax quam Teucer. Tam Aiax quam Teucer Salamine demum in insula facti sunt Telamonii. Salaminii autem rhapsodi tantumne valebant, ut cognomen Telamonii in Iliade cum nominibus Aiace et Teucro ibi per complura saecula obviis coniungere possent? An id perfecerunt rhapsodi Athenienses postquam Philaidae Athenis summum locum occuparunt? Saeculo igitur sexto? Ecquis credit?

Si quid videmus, Aiax et Teucer in Iliade ante vocabantur *Τελαμώνιοι* quam *Τελαμών* ipse locum in carmine obtinuit. Statim enim cum in carmine obviam sibi fuissent Aiax Locrensis et Aiax ille, qui Locridem cum regione Saronico sinui adiacente commutasset, heroum discernendorum causa necesse fuit addere

patronymicum. Qui canebat τὸν Ὀιλεΐδην, silere non poterat τὸν Τελαμώνιον. Inde a tempore quo uterque Aiax in Iliade partes egit suas, vel potius, quo uterque in scaenam processit, non poterant rhapsodi, quin patronymico addito auditores de quonam Aiace agerent redderent certiores. Quae vero patronymica esse videbantur, ab origine nomina erant ducta ἀπὸ τῶν ἐπικλήσεων eorum *numinum*, sub quorum tutela uterque heros fuerat positus. Nam neque Ὀιλεύς neque Τελαμών mera heroica sunt nomina. Ipsa forma Τελαμώνιος (cf. Ἀπολλώνιος, Ποσειδώνιος, Τροφώνιος, Πλουτώνιος) a solita patronymicorum formatione discrepans testatur hic agi de aliquo, qui numinis cuiusdam praesidio sit commendatus. Satis sit pro sententia nostra statuisse, eum qui diceret Αἴας Τελαμώνιος, Αἴας Ὀιλέως, ab auditoribus antiquissimis regionem Saronicam vel Locridem habitantibus non intelligi non potuisse, etiamsi de Telamone, de Oileo ipsis nil adderet. Posteriore vero aetate, cum haec appellativa pro veris patronymicis habebantur, cum Telamo et Oileus *heroes* videbantur, hi quoque in scaenam heroicam procedebant. Sed observa, quam exigua sint, quae poetae hisce de heroibus narrare possent: res gestae nullae fere memorantur. Poetis recentioris saeculi ut patrem, matrem, patriam, facta, excogitarent erat reservatum. Ne in Catalogo quidem Telamo locum invenit. Adiectivum autem Τελαμώνιον ne e priscis quidem Iliadis partibus evellere possis. Τεῦκρος quoque Τελαμώνιος audit; Τεῦκρος, cuius nomen tam per Graeciam quam per Asiam divagatum, nulli non movet quaestionem, quî hercle cum appellativo Telamonio sit coniunctum! Ab hoc incipiamus.

X. Τεῦκρος.

Teucros nomen fuisse cuiusdam gentis Cyprum olim habitantis vel potius nomen regulorum, qui huic genti, Gergithibus, praeessent, coniecit Kretschmer (Einleitung Gr. Spr. p. 189).

Herodoto teste (V, 122; VII, 43) Teucrorum e gente postea illi Gergithes supererant, quorum urbem in Troade conditam nominat Xenophon Hellenic. III, 1, 15. Strabonis vero aetate nil nisi regionis nomen Gergithium exstabat. Invenitur idem nomen Gergithium apud Caicum, Cumis, Mileti, ubi plebs subiecta priscum servabat nomen:

„τῶν δημοτῶν, οὓς ἐκεῖνοι Γέργιθας ἐκάλουν, οἱ πλούσιοι κρατήσαντες ἅπαντας ὧν κύριοι κατέστησαν μετὰ τῶν τέκνων κατεπίττωσαν" (Athen. XII, 5 p. 524).

Eorum cognati erant Gergini, quae gens aetate historica incolebat Cyprum; unde effecit Kretschmer Gergithes aliquando Teucrorum sub auspiciis Cypro profectos oram Asiae Minoris maritimam legentes in Troadem venisse. Item Athen. VI, 256 *B*:

„λέγουσιν ὅτι τῶν Γεργίνων τις διὰ τῆς παραλίας μετ' ὀλίγων στείλας ἐπὶ τῆς Αἰολίδος κατὰ πύστιν ἅμα καὶ οἰκισμὸν τῆς τῶν προγόνων χώρας, πόλιν οἰκίσειε περὶ τὴν Τρωικὴν Ἴδην. τούτου τοῦ στόλου τινὲς ἀποσπασθέντες ἐν τῇ Κυμαίᾳ κατέσχον, ἐκ Κύπρου τὸ γένος ὄντες"· Narrat praeterea Strabo (XIV 672) sacerdotes diales Olbae in urbe Ciliciae nomen gessisse Teucrorum; templum ibi *ἵδρυμα εἶναι Αἴαντος τοῦ Τεύκρου*. Piratico bello finito, cum Pompeius piratas in regione *τῆς Κιλικίας Τραχείας* collocasset, vocabatur illa regio *ἡ τοῦ Τεύκρου δυναστεία καὶ ἱερωσύνη*. Addit Strabo: *„καὶ οἱ πλεῖστοί γε τῶν ἱερευσαμένων ὠνομάζοντο Τεῦκροι ἢ Αἴαντες"*.

Sacerdotes igitur Iovis Cilicis templi perantiqui audiebant invicem Aiaces et Teucri. Unde coniecit Kretschmer (ibid. p. 398[2]) Teucros e Cilicia Tracheia ortos aliquando traiecisse Cyprum.

Exstant autem duo alia testimonia antiqua, quorum alterum perhibet Teucros venisse e Creta, alterum oriundos eos esse ex Attica. Prius hisce verbis conceptum est:

„Τοῖς γὰρ ἐκ τῆς Κρήτης ἀφιγμένοις Τεύκροις, οὓς πρῶτος παρέδωκε Καλλῖνος ὁ τῆς ἐλεγείας ποιητὴς ἠκολούθησαν δὲ πολλοί κ. τ. λ". Testimonium igitur est e parte priore saeculi septimi, auctor poeta Ephesius.

Alterum testimonium est hoc:

„ἄλλοι δὲ ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἀφῖχθαί τινα Τεῦκρόν φασιν ἐκ δήμου

Τρώων, ὃς νῦν ὁ Ξυπετεὼν λέγεται. Τεύκρους δὲ μηδένας ἐλθεῖν ἐκ τῆς Κρήτης· τῆς δὲ πρὸς τοὺς Ἀττικοὺς ἐπιπλοκῆς τῶν Τρώων τιθέασι σημεῖον καὶ τὸ παρ' ἀμφοτέροις Ἐριχθόνιόν τινα γενέσθαι τῶν ἀρχηγετῶν" (Strab. XIII, 604).

Qui fuerint hi *ἄλλοι* docet Dionysius Halic. I, 61: „*τοῦτον (τὸν Τεῦκρον) ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Φανόδημος ὁ τὴν Ἀττικὴν γράψας ἀρχαιολογίαν ἐκ τῆς Ἀττικῆς μετοικῆσαί φασιν εἰς τὴν Ἀσίαν δήμου Ξυπετεῶνος ἄρχοντα*". Revocamur igitur ad Atthidographos.

Quid statuendum in re tam aleae plena? Triplicem narrationem de Teucrorum origine habemus: provenisse eos vel e Cilicia Trachea, vel e Creta, vel ex Attica. At ex hac triade Kretschmer non infeliciter unam amovit, nempe originem Cretensem, observans Milesios ipsos se ex hac insula oriundos palam declarasse, quo factum esse ut Gergithes quoque Mileti antiquiores incolae inde venisse crederentur.

Quod ad originem atticam attinet, quisnam atthidographis nusquam non colonos Athenienses indagantibus fidem habebit? Quidquid eorem iudicio ex Attica provenit, non nisi statera exactum, lapide Lydio tentatum, a scrutatoribus historicis intro mitti solet. Quinimo, iam hanc ob causam suspectum, quid dico, falsum fictumque videtur, quoniam ab Atthidographo nobiscum communicatur.

Contra de origine Ciliciensi dubitat unus et alter, pro vera habent multi. Ecquis de ipsis Teucris dubitat?

Teucri Troiani sunt, ita discunt pueri nostri in subselliis. Nonne apud Vergilium exclamat miser Laocoon: „equo ne credite Teucri!" Quo vero tempore nomen illud Teucrorum, quod apud Homerum, licet tam et tot varias nominet gentes, frustra quaeritur, in lucem prodiit? Callinus Ephesius elegorum poeta saeculi septimi teste Strabone loco supra allato primus locutus est de *Τεύκροις ἐκ τῆς Κρήτης ἀφιγμένοις*, falsam igitur iis attribuens patriam. Est idem poeta, qui de Cimmeriis quoque *ὀβριμοεργοῖς*, de Traribus, de Esionibus (*Ἡσιονεῖς* Strab. XIII 627, cf. *Ἡσιόνη*; vid. infra) mentionem fecit, doctus igitur homo. At fide quoque historica dignus? Asseverat idem Calchantem

homericum Clari mortem obiisse, populum vero, cui praeesset Taurum montem superasse, τοὺς μὲν ἐν Παμφυλίᾳ μεῖναι τοὺς δ' ἐν Κιλικίᾳ μερισθῆναι καὶ Συρίᾳ μέχρι καὶ Φοινίκης! (Cf. Herod. VII, 91. Paus. VII, 3, 4). Quidvero de Teucris habet? Venisse eos e Creta, oraculum iis fuisse: „αὐτόθι ποιήσασθαι τὴν μονήν, ὅπου ἂν οἱ γηγενεῖς αὐτοῖς ἐπιθῶνται· συμβῆναι δὲ τοῦτ' αὐτοῖς φασι περὶ Ἁμαξιτόν· νύκτωρ γὰρ πολὺ πλῆθος τῶν ἀρουραίων μυῶν ἐξανθῆσαν διαφαγεῖν ὅσα σκύτινα τῶν τε ὅπλων καὶ τῶν χρηστηρίων· τοὺς δὲ αὐτόθι μεῖναι" (Strab. XIII 604). Iam intellexisti, qua de re agatur: explicandum erat Apollinis cognomen Σμινθεύς, quod iam in Iliade gerit, licet Teucri ibi sint ignoti; atque simul explicandum erat, cur in Troade Teucri consedissent, de quorum commoratione in Troade post Callinum primus memorat Herodotus. Quid et quomodo hic auctor de iis locutus est? „Xerxis expeditio, si hominum multitudinem spectas, superavit omnes quotquot susceperunt praecedentia genera hominum. Nam nihil prae illa fuit Scythica, nihil ὁ στόλος τῶν Ἀτρειδέων ἐς Ἴλιον, nihil etiam ὁ τῶν Μυσῶν τε καὶ Τευκρῶν ὁ πρὸ τῶν Τρωικῶν γενόμενος, οἳ διαβάντες ἐς τὴν Εὐρώπην ἐπὶ τὸν Ἰόνιον πόντον κατέβησαν μέχρι τε Πηνειοῦ ποταμοῦ τὸ πρὸς μεσαμβρίης ἤλασαν". Teucri igitur este Herodoto iam ante bellum Troianum in Troade fuerunt. At Homerus eos ignorat; Teucri autem nomen saepius commemorat, Graeci puta, Aiacis fratris, ita ut dici haud possit fortuito Teucrorum poetam oblitum esse.

En autem, quinto libro (c. 122) Herodotus narrat, Persas subiecisse et alios et Γέργιθας τοὺς ὑπολειφθέντας τῶν ἀρχαίων Τευκρῶν; VII, 43 nominat Γέργιθας Τευκρούς. Gergis oppidum erat prope a Lampsaco; Gergithes, teste Athenaeo XII p. 524, Mileti appellabantur οἱ δημοταί i. e. antiquissimi incolae a novis colonis subacti. In oraculo ibi allato audiunt Γέργιθες ἀπτολέμιστοι. Denique Herod. V 13 *Paeones* perhibent se esse Τευκρῶν τῶν ἐκ Τροίης ἀποίκους.

Quid de hisce omnibus statuendum? Docet Herodotus — neque adversatur ei Callinus — iam ante Troica bella priscum populum Teucrorum simul cum Mysis in Europam ex Asia

usque ad Ionium mare invasisse; huiusce populi quinto exeunte saeculo reliquias habitasse Lampsaci viciniam, cum ad Strymonem flumen eodem tempore invenirentur Teucrorum coloni *Paeones*. Teste Heraclide Pontico apud Athenaeum, Mileti quoque antiquissima incolarum pars, quam subiecerant coloni Graeci, vocabantur Gergithes. Gergini etiam Cyprii (Athen. VI 256) ab origine Teucri erant; Teucri vero nomen in Cilicia usitatissimum fuisse docent monumenta epigraphica (Kretschm. p. 190), necnon sacerdotes diales Olbae appellabantur Teucri (Strab. XIV 642).

At iterum monemus apud Homerum illius gentis ne minimum quidem superesse vestigium. Teucrum eum habere pro Graeco. Quodque plus est, ante saeculum septimum, quo aevo magnae gentium immigrationes Asiam turbasse videntur Teucrorum nomen nusquam apparet! Res est intricatior! Sed attendite!

Mysos cum Teucris in Europam invasisse perhibet Herodotus. At Homerus Mysos novit, non quidem in Asia sed in Europa:

(Ζεὺς) *δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ,*
νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων Θρηικῶν καθορώμενος αἶαν
Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων καὶ ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν (*N* 3 sqq.).

Iam Strabo observavit hos Mysos reliquias fuisse eorum, qui ex Europa in Asiam immigrarant: antiquiorem enim patriam fuisse Thraciam (VII, p. 295). Thraemer, Kretschmer cum Strabone faciunt. Unde sequitur Herodotum errasse, Mysos enim ex occidente orientem versus commigrasse. „Heute ist die einzig berechtigte Ansicht, dass die Richtung der Wanderung eine umgekehrte gewesen ist, dass vielmehr die Myser und die ihnen verwandten Völker aus Europa nach Asiën übergeflutet sind, ziemlich allgemein anerkannt". (Kretschm. p. 178)

Paeones quoque, quos Herodotus *pro colonis Teucrorum* Troadem habitantium habuit, hodierni viri docti ex Illyria provenisse putant. (Tomaschek, Thraker I 13 sqq.). Homerus quoque eos novit. Ubinam eos habitasse cecinit? In Thracia! sunt autem Troianorum socii *ἀγκυλότοξοι*, *δολιχεγχέες*, *ἱπποκορυσταί*, quos agit rex *Pelegonus*

seruisse. Idem liber comprobat inter Argorum incolas et Tremilas certa exstitisse vincula; e. g. signa illa mortifera, quae Proetus Bellerophonti dederat, leguntur atque intelleguntur a rege Tremilarum, ita ut conieceris Proeti aequales haud alienos a Tremilis fuisse, *in utraque* igitur *continenti homines eiusdem originis consedisse.* Ubi hic Lyciorum nomen? Nusquam. At Homerus ignorat Tremilarum nomen, cognitum habet illud Lyciorum. Athenis quoque Lyci priscum nomen notum erat, nam sic appellabatur Pandionis filius. Pandion vero atque Pandareos, Lycius heros, nomine sunt coniuncti (cf. *Πανδαρέου κούρη χλωρηὶς ἀηδών*, τ 519, et *Πανδιονὶς χελιδών* Sappho 88). His adde Lycaonis filium Pandarum, qui Lycios ante Troiam ducit: habes in utraque continenti gentium affinitatis vestigia.

Teucer (Graecus): Lycus (Gr) = Teucri (Troiani): Lycii (Tr.). Athenienses igitur, qui in Lyciam veniebant, ibi reppererunt Tremilas inter quos Lyci nomen — fortasse cum Apollinis cultu coniunctum — haud ignotum erat; id nomen iis in memoriam revocavit Pandionis filium neque dubitarunt fingere fabulam, qua hic Lycus nomen suum Tremilis impertivisse diceretur. Quare specie non caret, quod contendit Fick (Vorgr. Ortsn. p. 130): „in den Namen *Πανδίων Λύκος* liegt der Beweis, dass ein Teil Attikas insbesondere die Tetrapolis von Lykiern bewohnt gewesen."

Homerus autem ignorat nomen Teucrorum ut illud Tremilarum; novit Paeonum nomen ut illud Lyciorum, novit Teucrum ut Pandionem (Pandareum, Pandarum).

Utrumque populum, tam Teucros quam Lycios, posteri e Creta oriundum finxerunt. Eodem iure, eodem errore.

Quicumque Graeciam ipsam minoremque Asiam sub unum conspectum coniungere neque pro terris disiunctis habere velit, eum eadem nomina per utramque continentem dispersa et ab Homero tam Graecis quam Troianis partibus attributa minus moleste habebunt. Gentes emigrantes et novas sedes quaerentes neque a maritimo commercio abstinuerunt, neque quin ex Europa in Asiam vel vice versa commigrarent longiore per

Thraciam itinere se prohiberi passae sunt. Errorum suorum vestigia in utraque Aegei ora reliquerunt. Coloni igitur Graeci, qui posteriore aetate in Asiam transierunt, ibi haud dubie nomina hominum atque gentium sibi ex ipsa patria notissima reppererunt. Quod nemo clariorem posuit in lucem quam vir sagacissimus, cuius studia optimae frugis iam saepius laudavimus: Augustus Fick.

Alterum videamus exemplum. In Aeneidarum genealogia *Υ* 230 legimus:

Τρῶα δ' Ἐριχθόνιος 'τέκετο Τρώεσσι ϝάνακτα.

Erichthonius igitur vel Erechtheus *ἀρχηγέτης Atticus* filium genuit *Troem*. Quis non cogitat de nominibus qualia Aeneas, Anchises, quae in Arcadia apud Orchomenum in colle Anchisia coniuncta reperiuntur (Paus. VIII, 12, 8); quis non de Dardano, cuius nomen latet in Peloponneso (ibid. VIII, 24, 3)? Caphyarum conditor habetur Aeneas; Aeneas apparet Sicyoniis in nummis; cohaeret nomen cum *Αἰνείᾳ* (Chalcidice), cum *Αἴνῳ* (Thracia, cf. Rhesum *τῶν Αἰνειῶν πάλμυν*; cf. Hipponact. fr. 42). Dardani quorum erant reges Aeneadae illyricae sunt originis (Strabo VII, 315; Appian. Illyr. c. 2). Satisne dispersum Aeneae nomen, per Peloponnesum, mediam per Graeciam, per Thraciam, per Troadem? Filius quoque Ascanius provenit *τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης* (*B* 863), id est e Bithynia (Strab. XII 565).

Quaenam causa fuit, cur talia nomina tam late non modo per utramque continentem, sed etiam per Thraciam, quod inter Europam et Asiam erat *ζεῦγμα*, essent dispersa? Ecquid coloni Peloponnesii Aeneae nomen secum in Troadem transtulerunt?

Reputemus graecas colonias in Troadem deductas saeculis septimo et octavo non esse antiquiores, harum igitur heroes serius in Asiam fuisse introductos, quam qui in epicis locum invenire possent. Quid igitur? Faciemusne cum Bethio, qui pronuntiavit: „Ins Mutterland müssen wir also zurückgehen, dort die äolischen Stämme aufsuchen, dort nach ihren Helden forschen und fragen ob dort vielleicht auch ihre Feinde, die Troer und gar Troja selbst zu finden seien"? (Homer und die Heldensage p. 12).

Libenter Bethio auctore hoc faciemus; non tamen ut cum Bethio inde efficiamus Teucrorum nomen vel ipsum Troiae nomen ex Attica a poetis fuisse deromptum atque in Asiam ad epicum carmen pangendum translatum ut aliarum gentium aliorumque heroum rebus gestis ornaretur. Non quod negemus ulla heroum vel gentium certamina in Graecia peracta Iliadis in contextum volventibus annis esse inserta. Optimo iure, si quid videmus, inter alia vir sagacissimus constituit haec: „weit getrennte Einzelsagen von den Heldenkämpfen im Mutterlande entstanden und in den Grundzügen bereits fest geformt, konnten in Klein-Asiën neu belebt und durch neue Erfahrungen bereichert, aber- und abermals umgedichtet und um einen Mittelpunkt gesammelt und durch ihn verbunden werden (id. p. 19)." Sed interdum ingenio se abripi passus est Bethius; quod valet de quibusdam Iliadis fabulis non valet de omni Iliade neque quisquam facile sibi persuadebit Andromachen — merum Amazonis nomen — Thebis Phthiotidibus venisse, neque ut Hectori assignetur origo graeca abutetur Plutarchi (Thes. 34) observatione: *„Ἕκτορα δὲ τὴν Τροιζηνίων πόλιν λαβόντα διαρπάσαι καὶ τὴν Αἴθραν ἀπάγειν ἐκεῖ καταλειφθεῖσαν"* (cf. *Γ* 144).

Quaedam igitur argumenta Bethii callidiora quam veriora iure refutavit Crusius (Sagenverschiebungen Sitz. Ber. Münch. Akad. 1905, V), quamquam dolemus hunc virum artem suam criticam in adversarium iusto acrius, hostili fere dixeris modo, exercuisse, quo suas argumentationes nequaquam stabilierit, immo lectu reddiderit iniucundiores.

Neve credat Crusius prorsus ad absurdum, ut dicitur, se deduxisse Phanodemi de Troia attica, de Teucris atticis, observationem allato fragmento, quod exstat Procl. ad Tim. p. 30 C (97 Diehl): *„τοὺς δὲ Ἀθηναίους Καλλισθένης μὲν καὶ Φανόδημος πατέρας τῶν Σαϊτῶν ἱστοροῦσι γενέσθαι"*. Quibus verbis allatis gloriabundus exclamat: „Die Troer haben in Attika nicht mehr zu suchen als die Männer von Saïs." Nam licet nullus non concedat Crusio hoc fragmentum tacite esse abiciendum, licet unus et alter fortasse nobiscum coniciat harum ineptiarum originem esse

Herodoti mentionem templi *Ἀθηναίης ἐν Σάι πόλι* positi, tamen nullus mortalium hucusque explicavit, cur *Ξυπετεώνων* potissimum cum *δήμῳ* Troes atticos coniunxerit Phanodemus. Quam difficultatem ipse Crusius agnovit (l. l. p. 177), sed non solvit. Talia autem explicanda sunt antequam condemnentur. Nobis vero Troum demum fuisse in Attica haud minus verisimile videtur, quam extitisse locum *Φρυγίαν* appellatum in Thessalia (Steph. Byz.), vel *τὰ Φρύγια* in Boeotia (Thuc. III 22).

Sicut autem insani foret contendere Phryges Asiae Minoris hinc nomen suum duxisse, sic serio non contendemus Troadis incolas nomen suum demo debere attico. Meraene igitur fortunae contribuendum est quod talia homonyma in utraque continenti reperiuntur? An quicquam valebit Erichthonius iam apud poetam vocatus Trois pater? An hic quoque sub oculis habemus exemplum nominis cuiusdam, quod gentes nomadum more vagantes per utramque continentem priscis temporibus disperserint, ita ut poetae, quibus Troum demus atticus haud esset ignotus, sed qui optime scirent veros Troes in Troade esse quaerendos, „in maiorem Atheniensium gloriam" Erichthonium Xypeteonum vicinum Trois patrem fecerint?

Atthidographos inter multa inepta hic illic veri alicuius rudimenta servasse, credere quid vetat? Nonnulla etiam servarunt quae aliis suspecta, aliis non omnino abicienda videbuntur. Dabimus exemplum. Leguntur apud Plutarchum in Vita Thesei (c. 17) haec: „*Φιλόχορος δὲ παρὰ Σκίρου φησὶν ἐκ Σαλαμῖνος τὸν Θησέα λαβεῖν κυβερνήτην μὲν Ναυσίθοον πρῳρέα δὲ Φαίακα, μηδέπω τότε τῶν Ἀθηναίων προσεχόντων τῇ θαλάσσῃ· μαρτυρεῖ δὲ τούτοις ἡρῷα Ναυσιθόου καὶ Φαίακος εἱσαμένου Θησέως Φαληροῖ πρὸς τῷ τοῦ Σκίρου ἱερῷ, καὶ τὴν ἑορτὴν τὰ Κυβερνήσια φησὶν ἐκείνοις τελεῖσθαι*". (Cf. Clem. Al. Protr. p. 12. 7: „*τιμᾶται δέ τις καὶ Φαληροῖ κατὰ πρύμναν ἥρως*").

Nausithous et Phaeax, quorum in honorem sacra habebantur sacellaque posita erant ad Sciri promunturium, locum Minervae Sciradi sacrum, noti nobis sunt ex Odyssea. Heroes enim, quibus postea *τὰ Κυβερνήσια* habebantur, *τῶν δολιχηρέτμων* Phaeacum

fuerant heros eponymus et rex. Temerene atthidographus haec nomina cum loco Atticae proximo coniunxit? Non, opinor. Cultus enim ibi habitus fingi non poterat; immo cohaeret cum Salaminiorum solemni νεῶν ἁμίλλῃ Aiaci dedicata. Phaeacis quoque nomen Athenis minime insolitum (Plut. Nic. 11; Thuc. V, 4) hic aliquid valet: sic enim appellatur apud Steph. Byz. Neptuni et Asopidis filius, apud Cononem vero tam Alcinoi quam *Locri* pater. Versamur igitur in Odysseae parte, cuius nomina Graeciam mediam et praesertim Atticam et Salaminem ut respiciamus nos monent. Regio certe fabulosa, quam appellavit poeta Σχερίην i. e. Litus, haud procul ab Attica — si saltem certam quandam regionem pro oculis habuit — poetae in mente afuisse videtur. Neque possumus, quin nautarum numerum 52, quibus Phaeacum naves compleri solebant, ob Phaeacum regum nume rum 13 e 4 × 13 ortum esse putemus; ita ut quattuor phylas Scheriae fuisse vel potius poetam sibi finxisse, systema igitur ionicum, verisimile ducamus. Glotz in libro, qui inscribitur „Etudes sociales et juridiques sur l'antiquité grecque" p. 239, omnes Phaeacum res maritimas cum atticis naucrariis compo suit multaque ibi sagaciter observata reperies.

Sed, ut ad incepta redeamus, Teucer e Locride oriundus emigravit Salaminem, ubi et ipse et Aiax, utpote qui patre carerent, Telamoni cuidam addicti sunt. Graeci autem, qui inde a nono saeculo Cyprum veniebant ibique Teucrorum reperiebant nomen, effinxerunt fabulam, qua heros graecus non receptus a patre ob segnitiem non vindicatae fratris iniuriae Cyprum appulsus ferebatur. Teucrorum reges Cyprum habitantes ob urbis suae insulaeque Salaminis homonymiam originem suam a Teucro duxisse coniecit Busolt (Gr. G. I p. 321). Iniuria, puto: ipse enim Busolt observat urbem Cypriam Salaminem, Graecorum coloniam validissimam, ab Graecis ipsis fuisse conditam. Vestigia punica prorsus ibi absunt. Novum igitur oppidum quin Graeci appellarint nomine graeco, quis dubitat? Unde sequitur nomen Sillumi ab incolis datum e nomine Salaminis esse depravatum, non autem nomen Sillumi a

Graecis auditum pro Salamine habitum. Cur vero Graeci suam urbem appellarunt Salaminem? Quia Teucros in insula reperiebant. Hinc autem effici potest eo tempore, quo Salamis condebatur, arcte iam Teucri nomen cum insula Salamine fuisse coniunctum. Neque fortuito Teucrum Salamine consedisse dixeris, reputans Teucrum venisse e regione quam antiquitus Leleges habitabant (vide infra), Salaminis autem nomen ad eandem gentem nos ducere. Iam Wilamowitz viderat Salaminem cohaerere cum Salmoneo. „*Σαλμώνη*", ita pergit Fick, „vel *Σαλαμώνα* (in inscriptionibus) vetus oppidum est in Elide; *Σαλμακίς* fons est Halicarnassi, Lelegum in urbe; *Σάλμος, πόλις Βοιωτίας ἧς οἱ πολῖται Σαλμώνιοι, ὡς Ἑλλάνικος ἐν δευτέρῳ Δευκαλιωνείας*". Quomodo Hellanicus Salmum cum Deucalionis nomine coniunxerit nescimus; hoc vero nomen revocat in memoriam tam Hesiodi fragm. 115 (Rz.):

ἦ τοι γὰρ Λοκρὸς Λ ε λ έ γ ω ν ἡγήσατο λαῶν
τούς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα Ϝειδώς
λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέας πόρε Δ ε υ κ α λ ί ω ν ι,

quam fr. 2: *ὅτι Π ρ ο μ η θ έ ω ς καὶ Πανδώρας υἱὸς Δ ε υ κ α λ ί ω ν*, sed etiam Acusilai fr. 20 (Arn. Kordt): *Δ ε υ κ α λ ί ω ν Ἡσιόνης τῆς Ὠκεανοῦ καὶ Π ρ ο μ η θ έ ω ς*.

Hesiones autem nomen ad Teucrum reducit.

Astipulamur igitur Fickio statuenti: „Salamis eher lelegischen als karischen Ursprungs". Versamur in nominum serie, quae omnia ad Leleges Graeciae mediae incolas priscos pertinent. Sic nullo saltu ad Telamonem venimus.

XI. *Τελαμών*.

Aras habebant tam Salamine quam Athenis Aiax filiusque eius Eurysaces; pater autem Telamo aris carebat. Homines, qui ab Aiace, ab Eurysace originem suam petebant, Telamonem

nunquam in Attica saltem sacris placasse apparet. Ubi vero Telamonis cultus, si qui usquam terrarum exstitit, quaerendus est?

Sacerdotum stemma primo vel altero saeculo a. C. n. Halicarnassi compositum ut huc necnon ad eius urbis *μητρόπολιν* oculos vertamus nos cogit. Verba sunt haec (Dittenb. Syll. N°. 608):

....Ἀριστοκλέους μεταγράψαι <ἐκ τῆς ἀρχαίας στή>λης τῆς παρεστώσης τοῖς ἀγάλμασι τοῖς τοῦ Ποσειδῶνος τοῦ Ἰσθμίου τοὺς γεγενημένους ἀπὸ τῆς κτίσεως κατὰ γένος ἱερεῖς τοῦ Ποσειδῶνος τοῦ καθιδρυθέντος ὑπὸ τῶν τὴν ἀποικί<αν> <ἐκ> Τροιζῆνος ἀγαγόντων Ποσειδῶνι καὶ Ἀπόλλω<νι>. εἰσὶν δὲ ἐν αὐτῇ ἱερεῖς τοῦ Ποσειδῶνος οἵδε·

Τελαμὼν	*Ποσειδῶνος ἔτη*	*ιβ´*
Ἀντίδιος	*Τελαμῶνος*	*κζ´*
Ὑπέρης	*Τελαμῶνος*	*ϑ´*
Ἀλκυονεὺς	*Τελαμῶνος*	*ιβ´*
Τελαμὼν	*Ἀντιδίου*	*κβ´*
Ὑριεὺς	*Ἀντιδίου*	*η´*
Ἄνθας	*Ἀλκυονέως*	*ιϑ´ κ. τ. λ.*

Ante nomen Aristoclis legendum coniecit Boeckh: *εἰπόντος τοῦ δεῖνος τοῦ.* Omnium sacerdotum anni computati efficiunt summam quingentorum quattuor.

Auctore igitur Aristoclis filio e columna antiqua, quae Halicarnassi iuxta imagines Neptuni Isthmii inveniebatur, transcripta sunt nomina omnium eorum, qui ab urbe condita *κατὰ γένος* sacerdotes fuerunt Neptuni illius, quem Troezene secum duxerant Halicarnassi conditores.

Fac notas numerales iam fuisse in tabula antiqua unde sacerdotum nomina sunt transcripta; fac antiquam illam tabulam adscribendam esse saeculo quinto, quoniam tunc temporis tales notas usitatas fuisse Halicarnassi ostendit titulus XI apud Dittenbergium; quid inde sequitur? Sacerdotum genealogiae initium adscendere ad medium saeculum nonum: 500 enim annos series ipsa complectitur. Hoc vero saeculo revera urbes doricae in Asiae litore occidentali sunt conditae.

Reperiuntur in stemmate nostro genera quindecim. Ultimus

igitur sacerdos Apollonides perhibere poterat, quod de se perhibuit Hecataeus: proavum suum decimum sextum fuisse deum. Heros vero unde genus ducebant sacerdotes erat Telamo.

Condita est Halicarnassus a Troezeniis. Exstat stemma regum Troezeniorum apud Pausaniam (II 30), ubi legimus post reges mythicos — quales erant Orus, Althepus, Saro — tandem venisse Hyperetem et Antham. Utrumque nomen in sacerdotum stemmate obvium fit. Hyperes ibi Telamonis audit filius, Anthas Alcyonei.

Observat Pausanias de Hyperete et de Antha: „*τούτους δὲ εἶναι Ποσειδῶνος καὶ Ἀλκυόνης Ἄτλαντος θυγατρὸς καὶ πόλεις αὐτοὺς ἐν τῇ χώρᾳ φασὶν Ὑπέρειάν τε καὶ Ἄνθειαν οἰκίσαι· Ἀέτιον δὲ τὸν Ἄνθα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ θείου παραλαβόντα τὴν ἀρχὴν τὴν ἑτέραν τῶν πόλεων Ποσειδωνιάδα ὀνομάσαι*".

Deest in sacerdotum stemmate nomen Aetii Anthae filii sed Posidonius adest. Adest quoque Alcyoneus, cuius nomen Alcyonen a Pausania memoratam in memoriam revocat nostram.

Qui vero saeculo nono coloniam Halicarnassum duxerunt? Viri nimirum ab Aetio Anthae filio originem suam ducentes: „*ἐκ Τροιζῆνος σταλέντες Ἁλικαρνασὸν ἐν τῇ Καρίᾳ ἀπῴκισαν οἱ γεγονότες ἀπ' Ἀετίου τοῦ Ἄνθα*".

Creati igitur e sanguine regio Halicarnassi, ubi sacerdotio fungebantur, nomina sua regia servarunt. Pausaniae verbis collatis credideris hos sacerdotes per Antham statim a Neptuno stirpem duxisse; invenimus autem in eorum serie inter Neptunum et Antham duo alia nomina inserta. Sunt Alcyoneus ab Anthae matre nominatus et Telamo, quem frustra in regum Troezeniorum quaerimus serie. Quod plus est, ne in illa quidem urbe unde oriundi sunt Troezenii, Anthedonem urbem Boeotiae volumus, ullum Telamonis detegi potest vestigium, licet alia nomina ibi *ἐγχώρια*, puta *Ὑριεύς*, in sacerdotum serie reperiantur. Unde hic Telamo in hoc stemma irrepere potuit?

Primum rogemus, quis Neptunus ille fuerit, quem tam Troezenii quam Halicarnassenses coluerint sacerdotibusque regiis curae esse iusserint. Appellatur in stemmate nostro *ὁ Ἴσθμιος*,

deus igitur, cui sacra erat Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα ([Apollod.] I, 9, 27) dedicata ab Iasone postquam e navium certamine victrix evaserat. Nomen vero, quod Neptunus gerebat Troezene, erat Phytalmius.

Φυτάλμιον αὐτὸν ἐπωνόμασαν ἐπειδὴ τοῦ φύεσθαι τὰ ἐκ τῆς γῆς γινόμενα παραίτιός ἐστιν (Cornutus 22). Numen igitur fuit vegetationis. Sed pro vinculis quae inter Troezenem et Athenas exstabant Neptunum Phytalmium in Attica quoque honoratum fuisse mirabitur nemo; colebatur in gente τῶν Φυταλιδῶν, quorum patronus Φύταλος Cererum primus domi excepisse ferebatur (Paus. I, 37, 2). In honore quoque erat Anthedone, ubi pater habebatur *gigantum* Aloeadarum. Hi in Caria quoque noti erant. Denique Rhodi Phytalmius habebat templum.

Quoniam Halicarnassensi in stemmate *Telamo* audit *Neptuni* filius, *Hyperes* contra, qui apud Pausaniam *Neptuno* utitur patre, in hoc stemmate *Telamonis* vocatur *filius*; quoniam Alcyonei i. e. Telamonis filii nomen ductum est ab Alcyone, ab illa igitur quae vulgo *Neptuni* habetur uxor, suspicio oritur Telamonis nomen *ipsius Neptuni* fuisse cognomen. Quaeramus num forte exstent argumenta, quibus haec suspicio corroborari possit.

Telamonis nomen seiungendum non est ab aliis ex eadem stirpe τλα ductis quale est Τλαμονίδας (Xen. Hell. V, 3, 3). Componendum igitur est cum *Atlante*.

Hunc vero, cui πάσης θαλάσσης βένθεα nota erant, deum fuisse marinum iam multi ante nos coniecerunt. Conferantur modo versus δ 384 sqq.:

πωλέεταί τις δεῦρο γέρων ἅλιος νημερτὴς
ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος, ὅς τε θαλάσσης
πάσης βένθεα ϝοῖδε, Ποσειδάωνος ὑποδμώς.

Sicut α 52 de Atlante dicitur: ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
μακράς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν,

sic posteri cecinerunt de Protei columnis mari in orientali positis:

Atrides Protei Menelaus adusque columnas
exulat (Verg. Aen. XI 263).

Calypso Atlantis filia ὀλοόφρονος habitat:

νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, ὅθι τ' ὀμφαλός ἐστι θαλάσσης,

locus dei marini filia dignus.

Hanc Atlantis naturam, quam perspexerat Preller, agnovit quoque Berger (Mythische Cosmographie der Griechen p. 7) sic ratiocinatus: „in echt mythischer Zusammenhangslosigkeit verlieh man ihm die Gewalt den Himmel, der ja auf dem fernen Meere zu ruhen scheint, zu tragen, und man malte die *tragende* Gewalt weiter aus, indem man sie wohl mit Säulen verglich, die ein Dach tragen".

Atlantis vera natura constituta revertamur ad Telamonem.

Scimus Hesionam Telamonis fuisse uxorem, qua ex genuit Teucrum. Quis igitur non mirabundus audit scholiastam ad Eurip. Phoen. vs. 1129 perhibentem: Hesionam *Atlantis* fuisse uxorem? Hesione igitur, Oceani filia, numen marinum, tam Atlanti deo marino quam Telamoni, Neptuni filio, uxor fuit. Mireris ni Telamo ipse numen fuerit marinum.

Teste Vitruvio imagines illas, quae ab architectis vocari solent Atlantes, Romani appellabant Telamones (De Arch. 6, 7, 6).

Telamonem vulgo habitum Aeaci Endeidisque filium Attici e Glauce Actaei filia natum ferebant (Pherecyd. ap. [Apollod.] III, 12, 6). Uxor quoque Telamonis audiebat Glauce (Diod. IV, 72), quam ob causam Telamo cum Glauco conferri potest, deo illo marino, qui Anthedone natus (in urbe igitur arcte cum Troezene coniuncta) vitam debebat patri Anthedoni matrique Alcyonae. Meminimus Anthae Alcyonaeque nomina in sacerdotum serie Halicarnassensi reperiri. Quin etiam Telamo iuxta Glaucam alter Glaucus videtur. Observas nos versari circa Isthmum et Boeotiae partem orientalem.

In Euripi ripa sinistra prope urbem Anthedonem situs est mons Messapius Neptuni cultu celeberrimus. Hunc cultum Locrenses in Italiam transtulerunt Metapontum, sicut Chalcidenses aliud nomen eiusdem dei *Κάλαυρον* ob ventos secundos datam e regione Troezeniorum transvexerunt in Calabriam i. e. *Καλαυρίαν* (cf. *Καλαυρία* in Sicilia, Plut. Tim. 31). In Messapii autem

vicinia est τὸ καλούμενον Γλαύκου πήδημα. εἶναι δὲ αὐτὸν ἁλιέα, καὶ ἐπεὶ τῆς πόας ἔφαγε δαίμονα ἐν θαλάσσῃ γενέσθαι καὶ ἀνθρώποις τὰ ἐσόμενα προλέγειν ferebant. Adstipulamur Gruppio (Gr. Myth. p. 69) conicienti piscatoris huius mythum e dei Messapii cultu profluxisse. Simul autem memores fimus Protei artis vaticinandi (δ 365 sqq.), quem γέροντα ἅλιον iam supra in harum rerum disputatione offendimus. Schol. Eur. Or. 318 docet Glaucum equas habuisse αἳ διεσπάσαντο τὸν ἴδιον δεσπότην Γλαῦκον τὸν Βελλεροφόντου πατέρα; qua narratione iterum Corinthum et Troezenem ducimur.

Glaucus enim piscatoribus propitius deus, qui Anthedone colebatur, a Corinthiis inter reges receptus τὰ Ἴσθμια in honorem τοῦ Ἰσθμίου (cf. stemma p. 66) instituisse ferebatur. Nonne eodem modo alterum Glaucum, Telamonem, in sacerdotum stemma regiorum receptum esse dixeris? Mare quoque transvectus Glaucus in Lycia regium obtinuit honorem, ut Telamo Graeciae solo relicto in regionibus transmarinis divinitatis suae oblitus mortalisque factus per saecula nomen suum transmisit. Quinimo Glauce Creontis filia, quae fonti Corinthio nomen suum imposuit, revera fuit dea marina e qua Pherecyde teste natus est.... Telamo.

Telamo igitur Neptuni filius e dea marina natus, cui ipsi uxor fuit numen marinum, qui nomine Atlantem deum marinum in memoriam vocat, cuius filius Alcyoneus denominatus est a Neptuni uxore, qui in iisdem regionibus, quibus Glaucus, Phytalmius, Calaurus regnabant, honorabatur, quin et ipse fuerit numen marinum non dubitamus.

Egit de Telamonis nomine Girard (Rev. d. ét. gr. 1905) in disputatione inscripta „Aiax fils de Télamon, étude de mythologie héroique". Videamus num cum auctore sagacissimo facere possimus, cui hac quidem in re libenter astipulamur, quod Telamonis nominis etymologiam vulgatam quantocius abiciendam iudicarit.

Hodiernos v. d. si audis, nomen suum Telamo accepit a scuti balteo, illius nempe scuti, quo filius Aiax prodibat armatus,

sicut Aiacis filius ob idem scutum septemplex Eurysaces appellatus videtur.

Est revera Eurysaces „Breitschild"; latet nominis origo in *Δ* 526 sq.:

Αἴας δὲ κλονέει Τελαμώνιος· εὖ δέ μιν ἔγνων·
εὐρὺ γὰρ ἀμφ' ὤμοισιν ἔχει γέρας. (Cf. *P* 132; Deecke, de Hectoris et Aiacis certamine singulari, p. 48).

Inspiciamus quoque *H* 219 sqq.:

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος ἠύτε πύργον
χάλκεον ἑπταβόειον, ὅ ϝοι Τυχίος 'κάμε τεύχων
σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος, Ὕλῃ ἔνι ϝοικία ναίων·
ὅς ϝοι ἐποίησεν σάκος αἰόλον ἑπταβόειον
ταύρων ζατρεφέων, ἐπὶ δ' ὄγδοον ἤλασε χαλκόν.
τὸ πρόσθε στέρνοιο φέρων Τελαμώνιος Αἴας etc.

Scutum confectum esse apparet e septem coriis bovinis, quibus octavum tegumen aeneum erat impositum. Credimus hanc potius ob causam — nempe ob coriorum numerum maiorem solito — quam ob altitudinem vel ob latitudinem *τὸ σάκος* vocatum fuisse *πύργον* (bolwerk); ipsa enim structura solito firmior maiorem promittebat salutem. Nam quod ad imaginem attinet, ex Eurip. Alc. 312:

παῖς ἄρσην πατέρ' ἔχει πύργον μέγαν

apparet voce *πύργου* firmitudinem magis quam altitudinem indicari. Quod et Homerus confirmat, nam Graecorum ordinem bene confertum *πύργον* vocat e. g. *Δ* 334:

οἳ δὲ μένοντες,
ἕστασαν, ὁππότε πύργος Ἀχαιῶν ἄλλος ἐπελθὼν
Τρώων ὁρμήσειε καὶ ἄρξειαν πολέμοιο

et *Δ* 347:

καὶ εἰ δέκα πύργοι Ἀχαιῶν
ὑμείων προπάροιθε μαχοίατο νηλέι χαλκῷ.

Sic qui *M* 43 *πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύνουσι*, confertissima acie expectant hostem. Aiax igitur, qui eandem ob praestantiam vocatur *ἕρκος Ἀχαιῶν* (Z 5), potius ob corpus robustum quam quia capite supra ceteros eminebat *πύργος* vocari poterat.

Attamen videtur scutum eius latius solito fuisse, quo vel duos homines tegere posset. Sed nolite oblivisci etiam postea unumquemque *ὑπασπιστήν* clipeo suo iustae formae praeter se alium quoque defendere potuisse (Xen. Anab. IV, 2, 31). Quorsum haec omnia? Ut probemus *τὸ τοῦ σάκους εὖρος* antiquos rhapsodos nequaquam ita commovisse, ut proprium nomen inde ducerent. Revera, sero demum Eurysacis nomen apud auctores graecos offendimus. Quinimo Sophocles, cuius in Aiace Eurysacis nomen primum invenitur, qui hunc filium a patris scuto nomen accepisse voluit, ne is quidem de clipei latitudine ullum addidit verbum, cum diceret:

ἀλλ' αὐτό μοι σύ, παῖ, λαβὼν ἐπώνυμον,
Εὐρύσακες, ἴσχε, διὰ πολυρράφου στρέφων
πόρπακος, ἑπτάβοιον ἄρρηκτον σάκος·
τὰ δ' ἄλλα τεύχη κοίν' ἐμοὶ τεθάψεται.

Videsne, quî tragicus poeta structuram, firmitudinem clipei indicet, nullo verbo de latitudine ne hoc quidem loco, ubi prae ceteris omnibus exspectandum esset, addito?

Stabat in *Κολωνῷ ἀγοραίῳ*, in demo Melitensi, ara Eurysacis, *τὸ Εὐρυσάκειον*. Nulla autem gens Eurysacidarum unquam Athenis fuit, ut recte observavit Toeppfer Att. Geneal. p. 278. Nam qui ab Aiace se oriundos perhibebant, appellabantur Philaidae. Hi vero Braurone sedebant. Philaeus eponymus horum virorum ab aliis frater ab aliis filius Eurysacis vocabatur. Qua ex re effici potest Eurysacem heroem obscurum, de quo ante Sophoclem nusquam quicquam innotuit, locum iuxta Aiacem et Philaeum non habuisse sed sibi quaesivisse.

Post omnes heroes, qui a *factis* vel e *moribus* patris nomen suum duxerunt, ut Astyanax, Telemachus, Tisamenus, ille, qui a patris *scuto* est denominatus, recentissimus est neque ulli non parvi videbitur pretii. Minime miramur talem heroem posteros nullos reliquisse. Habebat quidem aram in demo Melitensi, sed quae haud dubie temporibus recentioribus erat erecta, fortasse Sophoclis demum aetate, cui Eurysaces rex Salaminius fuit. Arae Melitensis nullus mentionem fecit ante Pausaniam et Harpocrationem.

Eurysacis igitur nomen argumento afferri non debuit, ad comprobandum, illud quoque Telamonis, quod in Homericis iam apparet, simili modo a balteo filii scuti esse derivatum. Iam diximus adiectivum *Τελαμώνιον* antiquius nobis videri — ut videbatur Girardo — quam heros *Τελαμών*. Quid tandem significasse putant illi, qui Telamonis nomen a balteo Aiacis derivant, *τὸν Τελαμώνιον Αἴαντα*? Numquid Aiax qui filius est eius, cui Aiacis balteus nomen dedit? An Aiax peculiari balteo suo insignis? Sed illud ineptum est, hoc *ψεῦδος*: nam balteus Aiacis scuti nil peculiare habebat. Quare obnixe cum Girardo negamus herois alicuius balteum nulla ex parte memoratu dignum ita antiquorum perculisse mentes, ut inde novum heroem crearent, vel novum fingerent epitheton. Nonne omnes heroes, qui scuto Mycenaeo erant armati e. g. Hector (cf. versus notissimos

ϝοῖδ' ἐπὶ δεξιά, ϝοῖδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βοῦν etc.),

hoc modo Telamonii dici potuerant? Tali modo voce Telamonii accepta nonne hoc epitheton genus potius hominum quam unum certum hominem designasset? Immo, si inter cunctos heroes solus Aiax balteo ad scutum gerendum esset usus cum ceteri omnes uterentur *ὀχάνοις*, tunc demum Aiax ex hoc balteo nomen accipere potuisset peculiare. Sed res aliter se habet.

Quid designat *Τελαμώνιος Αἴας*? Nomina in (*ών*)*ιος* desinentia vel indicant locum, unde quis provenit, e. g. *Ἀγκαῖος Πλευρώνιος* Ψ 635, vel deum, cui homo est dedicatus, e. g. *Ἀπολλώνιος*, *Ποσειδώνιος*, vel deducta a participiis personam agentem designant, e. g. *Τροφώνιος*, Feronia. De Telamonio Aiace secunda modo valet ratio. Significat epitheton Aiacem *τῷ Τελαμῶνι* fuisse dedicatum, addictum, oboedientem.

Collato nomine *Μελανθίῳ* i. e. qui dedicatus est *Ποσειδῶνι Μελάνθῳ* (schol. Lycophr. Alex. vs. 767 *Μέλανθος ὁ Ποσειδῶν παρὰ Ἀθηναίοις*; cf. Bechtel-Fick Gr. Eigenn. p. 201: *Mέλανθος* aus *Μελάνθος* mythischen Ursprung), quod nomen et dicitur *Μελανθεύς* (ϱ 212, φ 175), exspectari poterat iuxta *Τελαμώνιον*: *Τελαμωνεύς* (cf. Feronia: *Φορωνεύς*). Cum forma *Τελαμωνιάδης* conferatur *Ταλαϊονίδης*; nam haec quoque vox deducta a *Ταλαϊών*.

vel a *Ταλαός* (cf. *Κρονίων*: *Κρόνος*) stirpem habet *ταλ*, *τλα*, *τελα*. Dedicatus igitur erat Aiax Neptuno cuidam Feretrio, „den torscher", nempe *τῆς γῆς*.

Quid mirum aliquem tam robusto deo dedicatum et ipsum magnis viribus fuisse instructum; nam hanc ob causam infantes deorum in tutela ponebantur, ut horum donis prae aliis fruerentur. Prope Calauriam, ubi Neptunus Telamo colebatur, Aiax in dei positus tutela Telamonius est factus; postea eundem Telamonem patrem habuit. Dei marini filius factus ipse quoque statura, viribus, crescebat ita, ut Aiax Locrensis orientem versus cum emigrasset mox et ipse Feretrius aliquis videretur fieretque *ὁ μέγας*.

Invenitur vox *τελαμών* in inscriptionibus saepius miro modo adhibita; e. g. *ἀναγράψαι τι εἰς τελαμῶνα λευκοῦ λίθου* vel *εἰς τελαμῶνα λίθινον* (Dittenb. Syll. 545, 10; 324, 31; 529, 41; 545, 37. Cf. Waldstein The argive Heraeum I p. 201; Inscript. graec. Solmsen p. 47, 21; Herwerd. Lex. Supplet. s. v.). Quonam vero sensu haec vox sit accipienda magnae dubitationi est obnoxium. Sic in dedicatione Iunoni facta Argivae legimus: *(Η)α στάλα ⁝ καὶ ho τελαμὸ(ν) [ἱ]αρὰ ⁝ τᾶς Ηέρας ⁝ τᾶς Ἀργε[ί]ας.*

Differunt igitur *στήλη* et *τελαμών*. Vertit Herwerdenus „fascia marmorea", quocum facere velimus, addita explicatione e Vitruvio (III, 5, 10) petita „fascia: en architecture membre produite par la division d'une surface unie en parties distinctes, qui ressemblent ainsi à de longues bandes plates étendues parallèlement l'une à l'autre" (Chéruel p. 262).

Girardus vertit *τελαμῶνα columnam*; quae opinio refutatur inscriptione supra laudata ubi *τελαμών* et *στήλη* (columna) *separatim* nominantur. Hoc autem fundamento debili vel potius nullo exstruxit aedificium ingeniosum, sed quod simul cum fundamento corruit. Nempe fretus argumentis petitis ex Evansii descriptionibus columnarum in Labyrintho cretensi vel alibi effossarum, probare conatus est Aiacem Telamonium fuisse „Genium columnam habitantem, l'esprit du Pillier". Deinde ad hunc Genium translatis quae viri docti ex imaginibus cretensibus efficere posse sibi visi sunt, pronuntiavit haec: „c'était un génie de la fécondité

et de la richesse particulièrement en faveur parmi les pâtres. Il avait pour attributs une baguette, emblème de sa puissance et un objet semblable à un bouclier, emblème de la protection qu'il accordait à ses fidèles. Il volait et parcourait les airs".

Iam prolocuti sumus Girardi aedificium stare non posse. Addere volumus haec. Usus est auctor ad sententiam suam probandam vetustis aliquot imaginibus, quas vel in vasculis vel in parietibus ornandi causa depictas Columnae Genii figuram exprimere sibi persuasit quasque in commentatione sua ipsis lineamentis reddere sedulo curavit.

Vereor tamen, ne alii quoque qui has imagines aspiciant mecum statuant auctorem laudabili studio abreptum saepius Telamonium in iis repperisse, quia Telamonium in iis reperiri vellet. Equidem in re tam aleae plena, quam est harum imaginum explicatio, de quibus ne id quidem pro certo statuere possumus, utrum animi causa an serio, utrum religionis an ornandi causa in parietibus, in vasculis, sint delineatae, tutius duco τὸ ἐπέχειν. Sed si adhibendae sunt, ibi demum adhibeantur, ubi opinionem quandam certis argumentis atque validis substructam illustrare possint. Sententiam vero quae ceteris partibus, ut vidimus, ita claudicet, ut fundamento eam prorsus carere appareat, tali auxilio defendi posse, quis credit? Quamquam libentissime confitemur Girardum ea doctrina, diligentia, sagacitate usum esse, quibus vel irrita conamina harum rerum studiosis atque peritis quam maxime fructuosa atque utilia reddantur. *Telamonis* certe nominis derivationem a balteo sano ingenio ductus impugnavit. Ipse Girardus confessus est disputationem suam niti τελαμῶνος sensu *columnae*. „Sans cette marque d'origine la recherche de la paternité d'Ajax serait une chimère; elle est possible grâce à ce mot". *Τελαμῶνα* autem valuisse apud Graecos *columnam* non probavit.

Nulla exstat causa, cur inscriptionibus repertis Perinthi (in colonia Sami), Byzantii (in colonia Megarensium), Phanagorae (in colonia Tei), Apolloniae, Odessi, Olbiae, Panticapaei (i. e. in coloniis Milesiorum) vocem τελαμῶνα aliter adhibendam esse putemus quam Argis, ubi inter se distinguuntur ἡ στήλη et ὁ

τελαμών. Στήλη autem est *columna* „un pillier bas, quelquefois rond mais plus souvent rectangulaire (Chéruel s. v. cippus)". Quomodo Girardus ipse vertit „argivum illum τελαμῶνα", qua voce est usus? „Basrelief". Quî Waldstein vocabulum accepit? „Bloc de pierre calcaire dans lequel l'inscription était encastrée" (The argive Heraeum I p. 201). Columna vero, κίων, στῦλος, dici poterat στήλη, sed a „bas-relief" quam maxime discedit.

Quod si rogatur, qua voce substantivum graecum τελαμῶνα, quod designat rem ad supportandum, elevandum, tollendum idoneam aptissime latine reddi possit, quis non eligit illud potissimum vocabulum, quod eidem rei aptum eademque a radice est derivatum, nempe *titulum*. Tituli romani triumphalibus e pompis satis noti sunt. Continebant quoque epitaphia necnon illa omnia, quae magistratus vel privati homines cum civibus suis communicare volebant. „Eunt sub titulum lares" vel „per titulos memoresque fastus" vel „tituli per colla pendentes servorum", quis quid significet nescit? Quidni igitur τελαμῶνα vertamur „une plaque de pierre ou de marbre destinée à recevoir, ou qui a reçu un décret, une dédicace, une liste de noms etc."? Vel cur non adstipulemur Herwerdeno in Lexico τελαμῶνας comparanti cum δέλτοις χαλκοῖς, tabulis aeneis, quibus incidebantur res memorabiles? Nonne folia quoque papyracea, quae in obliquum parietibus nostris affinguntur, ligaminibus, balteis (bandeliers) sunt similia?

Quare τελαμῶνα vertas titulum, fasciam marmoream, locum in lapide incisum ad recipiendam tabulam idoneum, per me licet vertas δέλτον, „aanplakbord" — quamquam hoc vocabulum longius a radice τλα nos abducit — sed columna, qualibus nostris diebus urbes exornantur ad res publici iuris faciendas, non fuit. Cuius rei Girardus sibi tam conscius fuit ut, cum in graecis literis frustra quaesivisset exemplum, quo τελαμῶνος significationem columnam illustraret, statuit hunc sensum procul dubio latere „dans un grec sensiblement antérieur aux poèmes homériques (l. l. p. 30)".

XII. De Enalo deque Trambelo.

Ad illa quae de Telamonis nomine observavimus quaedam sunt addenda, quibus coniecturam nostram stabiliri posse confidimus. Coniecimus enim Telamonem deum marinum ad Saronicum Sinum a Graecis esse cultum.

Narrat Pausanias (I, 35, 3): δείκνυται δὲ λίθος ἐν Σαλαμῖνι, οὐ πόρρω τοῦ λιμένος· ἐπὶ τούτου καθήμενον Τελαμῶνα ὁρᾶν λέγουσιν ἐς τὴν ναῦν ἀποπλεόντων οἵ τῶν παίδων ἐς Αὐλίδα ἐπὶ τὸν κοινὸν τῶν Ἑλλήνων στόλον.

Iacebat igitur prope a Salamine lapis, qui vulgo Telamoni sacer habebatur. Conferendi sunt: lapis Aeginae, quocum homines Phoci nomen fratris Telamonis coniungere solebant; Tiresiae lapis Thebis; lapis Thesei in via qua Troezene itur Hermionen; lapis Actaeonis Plataeis; Orestis lapis in Arcadia, alii.

Minime dignum foret memoratu Salamine lapidem iacuisse, quocum insulani herois sui nomen coniungebant, neque ad opinionem de Telamone nostram stabiliendam inde argumentum peteremus, nisi hic lapis in memoriam reduceret fabulam Lesbiacam de Enalo quodam heroe — fuit quondam deus marinus —, quae cum fabula de Telamonis Periboeaeque amoribus conferri potest. Incipiamus ab hac narratione sumpta ex Aretadis Cnidii Nesioticis (Müll. F. H. Gr. IV, 316).

Telamo cum aliquando Euboeam venisset Alcathoi filiam vitiavit, quo facto noctu effugit. Alcathous vero, qui negaret filiam suam invitam rem cum heroe habuisse, uni e satellitibus suis puellam mari submergendam tradidit. At hic misericordia motus servam eam vendere maluit. Navis appulit Salaminem, ubi puella ab ipso Telamone empta mox Aiacem peperit.

Nunc conferamus fabulam quam de Enalo tradidit Plutarchus de Sollert. anim. 36. Cum Penthelidae Lesbi conditores oraculi iussu sacrificare vellent virginem, Sminthei filia ab heroe Enalo

amata ut in mare praecipitaretur sorte electa est. Tum Enalus virginem amplexus una cum ea in undas desiluit eamque servavit. Postea vero, cum subito fluctus circa insulam attollerentur, Enalus solus ad litus accessit. Ecce e polypis, qui litori appropinquabant maximus gerebat lapidem, quem Enalus ibi deposuit Neptunoque dedicavit. *Καὶ τοῦτον* (Neptunum) *Ἔναλον καλοῦμεν* addit Plutarchus (VII Sapient. 30).

Revera Enalium fuisse Neptunum docet Pindarus Pyth. IV 363

ἐνθ' ἁγνὸν Ποσειδάωνος ἕσ-
σαντ' εἰναλίου τέμενος.

Ob lapidem iactum iure fortasse contuleris *Ποσειδᾶνα Πετραῖον* (Schol. Apollon. III 1243).

Habes hic quoque ut in Salamine lapidem prope ab litore positum deoque marino dedicatum; hic quoque virginem a numine aquarum amatam et servatam. Nomen puellae Lesbiacae Chryse vel Apriate (hoc ductum ex *Α* 99) erat.

Sed negas vinculum arctius inter fabulam Euboicam et Lesbiacam exstare ni validius afferatur argumentum. Volve Parthenium, ubi legis (Narr. Am. 26): „Trambelus *Telamonis* filius frustra amabat *Apriaten* virginem *Lesbiacam*, quam, cum *vitiare* vellet miseram, persecutus est donec in mare se praecipitaret".

Videsne hanc narrationem quasi *ζεῦγμα* coniungere Telamonis atque Enali fabellas. Telamo amabat nescientem, Enalus volentem, Trambelus nolentem; sed ter agitur de deo marino puellae amatore deque puella in mari vel per mare servata.

Melius etiam perspicies congruentiam adiectis Tzetzae verbis ad Lycophr. Alex. 467: „*μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν τὴν γενομένην ὑπὸ Ἡρακλέους Τελαμὼν ἔλαβε γέρας ἐξαίρετον Θεάναιραν. αὕτη δὲ ἐκ τοῦ Τελαμῶνος ἔγκυος γενομένη ἀπέδραμεν ἐκ τῆς νεὼς καὶ ἦλθεν εἰς Μίλητον διανηξαμένη τὴν μεταξὺ θάλασσαν.*

Quod modo narrabatur de Telamonis filio Trambelo nunc nominatim ad ipsum refertur Telamonem. Dubitari non amplius licet. Fabulis igitur iuxtapositis et inter se collatis non dubitamus ea, quae de Enalo, de Trambelo, de Telamone narrantur, ad unum referre schema: deus marinus humana forma indu-

tus amabat nympham, quae in fluctus cum desiluisset — quo facto semetipsam amatoris in potestatem tradidit — stirpem dei procreavit. Lapis prope a litore positus, quo loco virgo in mare se deiecit, rei memoriam servat.

Quis non cogitat de amoribus Sapphus et Phaonis in rupe Leucadia (Ovid. Her. XV)? Sed observa idem episodium non modo narrari de Euathli et Calyces amore, sed etiam de Deucalionis et Pyrrhae (Athen. XIV 619 D, Ovid. Her. XV 167 sq.). Deucalionis autem nomen ad Locrenses, vel ad Leleges Locridem habitantes nos reducit. Versamur in narratione Locrensi de numine suo marino. Negasne? Apud Athen. II 43 B audimus Trambelum ab Achille occisum esse; e fonte autem Milesio Achillem caede peracta ut sanguinem ablueret hausisse aquam. Quo vero modo ibi appellatur Trambelus? *ὁ τῶν Λελέγων βασιλεύς*! Coniunxit Fick nomina Trambeli et Trampes vel Trampyae. *Τράμπη* est *πόλις Ἰωνίας*. Est *τράμπις· ναῦς ἄκατος, πορθμίς, τινὲς πλοῖα βαρβαρικά* (Hesych.). Trambelus igitur significat *πορθμεύς*: alter Phaon!

Nonne hoc argumento e mythis petito Telamonis divinitas stabilitur? Novo credo exemplo confirmavimus legem Usenerianam (Göttern. p. 255): „wir dürfen mit Ueberzeugung den Satz aufstellen, dass alle Heroen deren Geschichtlichkeit nicht nachweisbar oder wahrscheinlich ist ursprünglich Götter waren."

XIII. De Locridis incolis antiquissimis.

Philippus Suangelensis (Suangela Cariae erat oppidum) perhibebat *ἐν τῷ περὶ Καρῶν καὶ Λελέγων συγγράμματι*: „*Κᾶρας τοῖς Λέλεξιν ὡς οἰκέταις χρήσασθαι πάλαι τε καὶ νῦν*". (Strab. XIII p. 611).

Discernebat igitur more homerico (*K* 428 sq.) Leleges a Caribus, inter quos eadem ratio exstitisse videtur, quae erat inter Spartiatas et Hilotas vel inter Thessalos et Penestas.

Leleges aliquando Cariam habitarunt, unde pulsi septentriones versus emigrarunt; deinde, sicut de Teucris narratur, sedes novas in Troade circum Pedasum et Satnioentem invenerunt. Regnabat inter eos Altes, cuius filiam Laothoën duxerat Priamus (Φ 84). Meminimus etiam in Caria fuisse oppidum Pedasa, quod Mausolus cum *Halicarnasso* coniunxit (Herod. VIII, 104). Quid mirum Leleges e vicinia Halicarnassi, ut probavit Kretschmer, emigrantes nomen Telamonis, quod vel postea Halicarnassi inveniebatur — nomen dei marini cui natio maritima quam maxime dedita erat — secum duxisse, regem Trambelum dei filium vocasse? Trambelum!, qui ut Phaeacum homines nomen gerebat a navibus ductum.

Nam maritimam nationem fuisse Leleges docet Herodotus I 173: „ὅκως Μίνως δέοιτο ἐπλήρουν οἱ τὰς ναῦς". Docet idem: „Λέλεγες καλεόμενοι εἶχον τὰς νήσους φόρον μὲν οὐδένα ὑποτελέοντες ὅσον καὶ ἐγὼ δυνατός εἰμι ἐπὶ μακρότατον ἐξικέσθαι ἀκοῇ".

Quodsi iure contendimus Telamonis nomen e Sinu Saronico in Asiam devenisse, oritur suspicio Leleges fuisse, qui suum deum orientem versus transduxerint. Obtinebant enim antiquissimis temporibus Leleges varias Graeciae regiones e. g. Megara, Locridem, Laconicam. Lelex de quo Laconica Lelegeïs appellabatur Spartae habebat ἡρῷον. ὡς δὲ αὐτοὶ Λακεδαιμόνιοι λέγουσι Λέλεξ αὐτόχθων ὢν ἐβασίλευσε πρῶτος ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. De tota Peloponneso Hecataeus Milesius tradebat eam ante Graecorum adventum a barbaris fuisse habitatam. Cf. Strab. VII p. 321, ubi exstant verba memorabilia: „in Milesiorum territorio quaedam Lelegum domicilia ostenduntur (Trambelus ab Achille Mileti interfectus!) et multa in Caria sepulcra et inanes tumuli Lelegeia appellantur. Quae nunc Ionia dicitur universa olim fuit a Lelegibus habitata, quam pulsis Lelegibus Iones occuparunt. Sed et ante illi, qui Troiam ceperunt Graeci, Leleges eiecerant e locis Idae vicinis iuxta Pedasum et Satnioentem flumen". Ultima fortasse ex Iliade petita.

Testatur Aristoteles in Republica: „eos, qui nunc dicuntur Locrenses, antiquitus Leleges fuisse nominatos, eosdem Boeotiam

occupasse (Strab. VII, 321). Vocat Ovidius Megaridem Lelegeia litora (Metam. VIII, 6); in scaenam idem ducit Troezenium heroem nomine Lelegem (VIII, 567). Filius illius Lelegis, qui Megaris regnabat, vocabatur Kleson, quod nomen in memoriam reducit Klesonymum τὸν παῖδα Ἀμφιδάμαντος, quem Patroclus in Locris inter ludum necaverat. (Ψ 87). Itaque non solum in Laconica, sed etiam per totam mediam Graeciam a Megaride usque ad Leucadiam reliquiae Lelegum nominis reperiuntur. Erat enim Lelex avus Teleboeae Teleboearum eponymi.

Fragmentum Hesiodeum 115 (Rzach) hosce versus praebet:

ἦ τοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,
τούς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα Ϝειδὼς
λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέας πόρε Δευκαλίωνι.

Deucalion apud Pindarum (Ol. IX, 43) audit pater regum omnium quotquot in Locride regnaverunt. Cyni in Locrorum urbe vixisse dicitur; ibi ostendebatur Pyrrhae uxoris eius σῆμα. Erat Cynus emporium Lelegum, portus unde naves Locrensium petebant altum. Memorat Strabo oppidulum Canas, coloniam a Locrensibus τοῖς ἐκ Κύνου conditam Lesbo insulae oppositam. Neque deest Homeri testimonium in Catalogo:

Λοκρῶν δ' ἡγεμόνευεν Ὀιλῆος ταχὺς Αἴας
οἵ Κῦνόν τ' ἐνέμοντ' Ὀπόεντα τε Καλλίαρόν τε.

Sic vidimus Telamonis nomen ibi inveniri, ubi Lelegum quoque nomen offendat. Locris, Troezen, Caria, Miletus, Troas, Lesbos antiqui dei marini servarunt memoriam.

In ipsa vero Locride vixit quoque nympha e qua Telamo genuit filium Teucrum, nempe Hesione. Nam Menoetii frater Prometheus uxorem habuit, quam Herodotus nominat Asiam (IV, 45), Aeschylus vero (Prometh. 555) Hesionen. Huc fucit Hesychii glossa: Ἡσιονεῖς· οἱ τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντες Ἕλληνες. Utrumque nomen Hesionen et Asiam Gruppius ad formam communem ΑἰσϜίαν rettulit.

Fusius egit Fickius de Lelegibus. Pro sua sententia omnibus indiciis undique collectis pronuntiavit (p. 107 sqq.): „Die Leleger stammen aus dem Nordwesten und haben sich von Epeiros aus

über Griechenland und die Inseln nach der Küste Kleinasiens hin verbreitet. In den beiden lokrischen Landschaften sind die Leleger als alte Bewohner bestens bezeugt. (Strab. p. 322: „ἐν δὲ τῇ Αἰτωλῶν πολιτείᾳ τοὺς νῦν Λοκροὺς Λέλεγας καλεῖ ὁ Ἀριστοτέλης .... ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τῇ Ὀπουντίων"). Auf dem Parnassos wurden die von Deukalion und Pyrrha aufgelesenen Steine zu Lelegern, das Gebirge lag wohl ursprünglich mitten im Lelegerlande. Nach Strabo 322: „κατασχεῖν δὲ τὴν Βοιωτίαν αὐτούς (sc. Λέλεγας) φησι (Aristoteles), ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τῇ Μεγαρέων". Von Böotiën und Lokris aus wurden die Leleger auf die Inseln, zunächst nach Euböa verdrängt und von den Inseln auf die Westküste Kleinasiens. Jedenfalls ist der Name der Insel Salamis eher lelegischen als karischen Ursprungs. Σαλμακίς Quelle und Ort bei Halikarnassos ist wohl die Lelegerstadt, endlich noch Σάλμος· πόλις Βοιωτίας, ἧς οἱ πολῖται Σαλμώνιοι, ὡς Ἑλλάνικος ἐν δευτέρῳ Δευκαλιωνείας (Steph.)".

Salmonei nomen collatum est cum illo Salaminis necnon huc pertinent Σαλμώνη in Creta, Σαλμώνη fons in Elide. Apparet Leleges inter barbaros Graeciae antiquissimos incolas locum obtinuisse primarium; nec iniuria Fick investigatione habita sagacissime coniecit hanc gentem ex Illyria oriundam per Locridem, Boeotiam, Salaminem, sinum Saronicum, Troezenem, traiecisse in Asiam occidentalem et primum quidem in Cariam; inde, quod iam ante probarat Kretschmer, Miletum et Troiam eos venisse. Quae omnia optime conveniunt cum illis, quae de Telamone in Sinu Saronico honorato atque inde Halicarnassum et in Troadem translato disputavimus. Neque obstant, quae nunc de Aiace Oilei filio e Locride, Lelegum patria vetustissima, oriundo disputabimus.

XIV. De Aiace Oilei filio.

Schol. Townl. ad *O* 333 observat: „τὸν Ὀιλέα Ζηνόδοτος ἑπόμενος Ἡσιόδῳ καὶ Στησιχόρῳ (fr. 84 B) χωρὶς τοῦ ο ὀνομάζει Ἰλέα". Proclus in Chrestomathia habet Αἴας ὁ Ἰλέως.

[Eur.] Rhes. vs. 175: οὐ μὴν τὸν Ἰλέως παῖδά μ᾽ ἐξαιτεῖ λαβεῖν;

Hesiod. fr. 116 Rzach: Ἰλέα τὸν ῥ᾽ ἐφίλησε Ϝάναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων.

Rzach cetera omnia collegit testimonia nominis formae Ilei pro Oilei illa. E quibus hic modo afferatur Lycophr. Alex. vs. 1150:

καὶ πᾶς Ὁδοιδόκειος Ἰλέως δόμος·

Pater Oilei vel, ut hic scribitur, Ilei erat Hodoidokos, quem Argonautarum Catalogus nominat Leodokon (Hyg. fr. 14). Monet hoc nomen de Axylo vel Oxylo, qui:

πάντας φιλέεσκεν ὁδῷ ἔπι Ϝοικία ναίων
Τευθρανίδης, ὃς ἔναιεν ἐυκτιμένῃ ἐν Ἀρίσβῃ (Z 13 sqq).

Habitat Oxylus apud Homerum Arisbae, stat a partibus Troianorum. Observa autem eum vocari Τευθρανίδην; Teuthranta contra apparere inter Graecos et quidem loco insigni. *E* 705 sqq. Hector prosternit:

ἀντίθεον Τεύθραντ᾽. ἐπὶ δὲ πλήξιππον Ὀρέστην
Τρῆχόν τ᾽ αἰχμητὴν Αἰτωλὸν Γοινόμαόν τε
Γοινοπίδην θ᾽ Ἕλενον καὶ Ὀρέσβιον αἰολομίτρην.

Orestes est Phocensis „den die Agamemnonsage in anderer Gestalt ausgebildet aber von Phokis nicht getrennt hat" (Bethe Homer u. d. Heldensage. p. 15; vide me Hand. IV^de^ Ned. Phil. Congr. 1904 p. 36 sqq.); Trechus eponymus est Trachinis, Oresbius Boeotus, Helenus Thessalus. Teuthrantis denique nomen cum Teuthrone oppido apud Taenarum posito cohaeret (Fick Vorgr. Ortsn. p. 91). Sic suspicio oritur Oxylum quoque quamvis Arisbae habitet a Graecia non fuisse alienum. Revera apud [Apollodorum] (1, 7, 7) audit filius Protogeniae et Martis. Protogenia autem e Deucalionis gente est orta: mater

est *Opuntis*. Sic devenimus ad Locridem. Neque mirum fuerit, si Hodoidokos Ilei Locrensis pater idem sit ac Oxylus ὁ τριόφθαλμος vel ὁ τρίοψ vel ὁ τριόπας. *Triopium* vero promunturium *Halicarnasso* vicinum denuo ad Asiae locum Telamonis cultu insignem nos abducit.

Usener in commentatione utilissima „Der Stoff des griechischen Epos p. 25 sqq." Oxyli vel Hodoedoci naturam detegit: est deus φιλόξενος, chthonius, mortales omnes excipiens, Orcus.

Unde sequitur Ileum vel Oileum Orci fuisse filium. Ubi habitat? In oppido Locrensi Naryce, ubi et Aiacem natum esse statuit Stephanus Byz. hisce verbis: „Νᾶρυξ· πόλις Λοκρίδος, τινές δὲ Ναρύκιον τὴν πόλιν φασὶν ἐξ ἧς Αἴας". De hoc oppido Fick observat: „Νᾶρυξ an der Heerstrasze von Trachis nach Phokis (cf. supra Teuthras, Trechus, Orestes *E* 705 sq.) enthält dasselbe Stammwort wie Naryandus in Kariën". Suspicati sunt v. d. hodierni e. g. Jensen (Z. D. M. G. 48 p. 477) oppida desinentia in ανδα, ινδα, ονδα hoc suffixo designare „urbem, locum". Ναρυ-ανδος igitur indicat locum sacrum genio cuidam, cuius appellativum. cum ναρῷ „fluvio", νασμῷ „fonte" cohaeret. Quod ad formas Νᾶρυξ-Νᾶρυς attinet conferenda sunt nomina Αἴας Αἴας, Ulix-Ὀδυσσεύς. Cum nomine Naryce cohaerere puto Νάρων flumen Dalmatiae (Strab. VII, 315), Νᾶρ flumen Italiae (Strab. V 227). Ab eadem radice deveniunt Νηρεύς (cf. adi. ναρός Aesch. fr. 347; Soph. fr. 569 (N[2]); neograec. νερό aqua), Νήρικος ω 377, Νήριτος ρ 207, Νήριτον mons Ithacae *B* 682. Radicis forma simplicissima non est ναρ (ρ) sed να, νε.

Aiax igitur natus est „loco aquae (fonti) vicino". Fons et locus Orco sacer saepius coniunguntur e. g. Paus. I, 38, 5; Theophr. H. Pl. I, 9, 5; Athen. XV, 62 p. 701 C; Paus. III, 26, 6; Paus. II, 37, 4.

Ubi vero mortuus est? Secundum Odysseam interiit apud Myconum, quo de loco Strabo habet haec (X, p. 487): „Μύκονος ὑφ' ᾗ μυθεύουσι κεῖσθαι τῶν γιγάντων τοὺς ὑστάτους ὑφ' Ἡρακλέους καταλυθέντας" (legendum censeo καταλευσθέντας).

Ultimi τῶν ἀγρίων φύλων Γιγάντων ibi rupibus cooperti iace-

bant, ubi *Γυραί* in mari dispersae certaminis vehementissimi videbantur monumenta.

Ὑπέρθυμοι vocantur in Odyssea Gigantes (η 59), qui in Theogonia vs. 186 ita describuntur:

τεύχεσι λαμπόμενοι, δολίχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντες.

Cui non ante oculos surgit imago herois, (nam, ut supra exposuimus, uterque Aiax antiquissimae staturae et figurae servat vestigia) qui O 676 sqq.:

νηῶν ἴκρι' ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων,
'νώμαε δὲ ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσι,
κολλητὸν βλήτροισι, δυωκαιϝεικοσίπηχυ.
'φοίταε μακρὰ βιβὰς, φωνὴ δέ ϝοι αἰθέρ' ἵκανε
αἰεὶ δὲ σμερδνὸν βοάων.

Gigantes pedibus non utuntur; desinit corpus in anguem. Aias ille ad fontem natus, cuius avus ipse Orcus erat, in scuto gerebat anguis imaginem, quinimo, quod maiorem etiam movet mirationem, sequebatur eum Troiam proficiscentem anguis quinque ulnarum veluti canis esset (Philostr. Her. 706).

Nonne Aiax fulmine incensus Typhoeum in mentem revocat? Neque nos fugit matrem eius appellari Periboeam (Paus. I, 42, 2; [Apollod.] III, 12, 6), Periboeam autem in Odyssea vocari filiam minimam natu

μεγαλήτορος Εὐρυμέδοντος
ὅς ποθ' ὑπερθύμοισι Γιγάντεσσιν βασίλευε (η 57).

A matre certe Gigantibus affinis erat heros noster. Merone haec omnia debentur casui, an indicant ubi Aiacis vera origo quaerenda sit? Sed alia etiam exstant herois naturae indicia. Observavit Servius ad Aen. I 41: „sane hic Aiax Oilei filius a multis historicis graecis tertiam manum dicitur post tergum habuisse, quod ideo dicitur factum, quia sic celeriter utebatur in proelio manibus, ut tertiam habere putaretur."

Tres hasce manus ad monstrum quoddam tricorpor spectare coniecit Usener. Similis igitur Aiax est Geryoni vel aliis monstris, quae antiqui pluribus manibus instructa sibi finxerunt, puta Hecatoncheires. Sic mente revertimur ad Triopem, Oxylum

tribus oculis praeditos. Martis quoque angui „tres vibrant linguae, triplici stant ordine dentes" (Ovid. Met. 3, 34). Iuppiter gerit fulmen trisulcum, Neptunus tridentem, Hercules et Theseus clavam trinodem (Ovid. Fast. I, 575; Heroid. IV, 115) Huc quoque facit *τρισκελές* illud in nummis lyciis, syracusanis „jenes weithin verbreitete Symbol, das wegen seiner apotropäischen Kraft ebenso wie Donnerkeil und Gorgoneion gern als schützendes Zeichen auf Schilden angebracht wurde" (Usener, Dreiheit). Inest in numero tres vis quaedam magica, quae semper naturam supra humanam, *δαίμονιόν τι*, indicat.

Sed nondum deprompsimus cuncta documenta Aiacis originis. Nam mater Aiacis Periboea soror est Capanei, illius herois, cuius imago sic ab Aeschylo depingitur:

Καπανεὺς δ' ἐπ' Ἠλέκτραισιν εἴληχεν πύλαις,
γίγας ὅδ' ἄλλος τοῦ πάρος λελεγμένου
μείζων, ὁ κόμπος δ' οὐ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖ. (Sept. 410 sqq.)

Rhetorice nimirum poeta hic utitur vocabulo *γίγαντος*, at observa similitudinem *τοῦ ἤθους* inter Capaneum et Aiacem veri gigantis nepotem. Verba magna iacere utrique commune est, quod clarius etiam fit collatis versibus 414 sqq.:

θεοῦ τε γὰρ θέλοντος ἐκπέρσειν πόλιν
καὶ μὴ θέλοντος φησίν, οὐδὲ τὴν Διὸς
ἔριν πέδοι σκήψασαν ἐμποδὼν σχεθεῖν,

cum Aiacis verbis δ 503 sq.:

ὑπερφιάλον Ϝέπος ἔκβαλε καὶ μέγ' ἀάσθη·
'φῆ ῥ' ἀϜέκητι θεῶν φυγέμεν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.

Capaneus vel Skapaneus (a verbo *σκάπτω* ut coniecit Wilamowitz) *ἐν τῷ τῆς ἀσπίδος σημείῳ* fert gigantem:

ἔχει δὲ σῆμα γυμνὸν ἄνδρα πυρφόρον,
φλέγει δὲ λαμπὰς διὰ χερῶν ὡπλισμένη

vel, ut afferamus verba Euripidea (Phoen. 1131 sq.):

γίγας ἐπ' ὤμοις γηγενὴς ὅλην πόλιν
φέρων μοχλοῖσιν ἐξανασπάσας βάθρων.

Participium *ἐξανασπάσας*, quod memorat etymon nominis Scapanei, quam sint inter se similes heros ipse et gigas quem

in clypeo gerit, indicat. Nec iniuria huc attuleris, quae minatus est Aiax „Πέργαμον κατ' ἄκραν αἱρήσειν". Offendimus etiam Herculem Scapaneum quendam apud Lycophr. Alex. 652:

τοῦ στερφοπέπλου Σκαπανέως Βοαγίδα,

ubi scholiasta: „σκαπανεύς, ὅτι διέσκαψε τὰς κόπρους τῶν τοῦ Αὐγείου βοῶν". Iure autem monuit Holzinger: „den Beinamen Scapaneus könnte man vielleicht mit besserem Rechte auf die Zerstörung Troja's beziehen, so dass Lykophron mit vs. 1348: λίστροις αἰπὺν ἤρειψεν πάγον, selbst die Erklärung des Epithetons liefern würde." Agitur de Hercule Trojae fundamenta suffodiente; quidni autem idem de Aiace dici possit, ut et hic nomen Scapanei mereri videatur?

Unde denuo apparet quanta similitudo inter Capaneum gigantem et Aiacem intercedat.

Praeter τὴν ὕβριν, quae gigantibus est propria, alia quoque res in eis notanda est, nempe ἡ μαχλοσύνη.

Praesertim in deas libidinem suam exercere conantur:

illi aggeribus temptare superbis
aethera et ah! matres ausi attrectare deorum;

vel ut Claudiania laudemus (Gigant. 40 sq.):

hic sibi promittit Venerem speratque Dianae
coniugium *castamque cupit violare Minervam.*

Nonne haec quadrant in Aiacem, nonne in eo quoque ab epicis poetis vituperatur libido? Attrectavit castam Minervae supplicem Cassandram: „Κασσάνδραν δὲ Αἴας ὁ Ἰλέως (sic) πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον". Ita traditum est in Perside. Fere dixeris ipsam Minervam eum attrectasse. Quid mirum inimicam implacabilem Aiacem sibi invenisse Minervam τὴν γιγαντολέτειραν?

Iam computemus quae de Aiace — i. e. de antiquissimo illo Locrensi, e quo tam minorem quam maiorem heroem homericum provenisse supra fusius probare conati sumus — invenimus:

1°. natus est Naryce prope fontem in Locride, patria Lelegum.
2°. matrem habuit Periboeam Gigantum regis filiam, Scapanei herois gigantibus perquam similis sororem.

3°. patre postea usus est Telamone, deo marino regionibus in Lelegeiis venerato, sed habuit ante (O)ileum de quo mox pluribus agendum erit.

4°. avus Aiacis fuit Orcus.

5°. statura, indole, pervicacia, libidine, magniloquentia gigantis naturam confitetur.

6°. propter cutem ab omnibus vulneribus tutam nonnisi a terra remotus — ut Antaeus in aere — in mari interimi poterat rupibus obrutus vel fulmine Iovis percussus.

7°. interiit apud Myconum, ubi ultimi Gigantum erant prostrati.

8°. tribus manibus erat instructus, ita ut speciem Geryonis cuiusdam forma tricorpori praediti praeberet.

9°. anguis immensus herois verae naturae et originis testis eum sequebatur.

10°. hasta praelonga lapidibusque se defendere vel hostes arcere solebat.

11°. prae ceteris deis Minervam τὴν γιγαντολέτειραν inimicam sibi habebat.

12°. Lelegeius pelle leonina — amictu gigantibus usitato — indutus apparet.

13°. in heroem mutatus et Salaminius factus immanitatem efferatam abiecit, evasit fortissimus Achaeorum defensor, sed qui tarditate, pervicacia, proeliandi more, στρυφνότητι antiquam proderet naturam. Magniloquentia autem et lascivia gigantibus propria remanserunt in altero Aiace, qui solum natale numquam deseruit, nisi ut Telamonium in bellum troianum sequeretur. Ibi vero Telamonii erat „umbra" originis suae bene memor, ita ut Αἴαντε saepius in unam eandemque personam concreverint, quales Neptuni filii Ἀκτορίωνε Μολίονε (Λ 750). Observandum enim est, hos quoque heroes giganteos marino cum numine coniunctos esse.

14°. Philostratus, ubi de Aiace minore agit (Her. 706) imprimis in eo notat aciem oculorum ardentem, capillorum motum

superbiorem, τὸ τῆς γνώμης ἕτοιμον i. e. animum qui cedere et flecti nesciat. Talia in Aiace maiore quoque observari possunt. „Scires unde geniti essent!"

XV. De fabula quadam Philostratea.

Quae supra de Aiacis forma et natura vetustissima observavimus corroborari possunt narrationibus quibusdam ad eius exequias pertinentibus, quarum mentionem faciunt Philostratus et Tzetzes.

Iam supra obiter rem tetigimus, nunc vero fusius de ea agendum est.

Apud Philostratum legimus (Heroic. 707): „habuisse Aiacem mansuetum draconem quinque cubitos longum, qui una cum ipso bibere soleret, semper in eius praesentia esset, in via eum praeiret vel canis ad instar eum sequeretur." Sequitur:

„Aiacem Cassandram quidem abripuisse a Minervae simulacro, cui supplicans virgo inhaereret sed non violasse iniuriisve affecisse, quod fabulae de eo mentiri soleant. Immo intactam virginem ad tentorium suum abduxisse. Agamemnonem contra, ubi conspexisset Cassandram, quae tam venustate quam artibus excelleret, confestim amore captum virginem Aiaci eripuisse. Orta deinde in praedae partitione controversia Aiacem postulasse ut sibi redderetur quam cepisset, sed Agamemnonem noluisse, quinimo Aiacem insimulasse, quod in Minervae aede captam stuprasset. Subornatos quoque esse ab Agamemnone, qui huiusmodi in Graecorum castris dispergerent sermones: horrenda omnia deam ob scelus iratam portendere, exercitum, nisi Aiacem perderet, mox ipsum periturum.

Tunc Oilei filium recordatum, quomodo alter Aiax iniquo iudicio periisset, sapientiam autem Palamedi nequaquam profuisse, cum lapidibus obrutus interiret, noctu parvo navigio coelo

turbido solum aufugisse, sed praeter Tenum atque Andrum navigantem iuxta Gyras interiisse. Cuius calamitatis nuntio ad Achaeos perlato fere omnes cibo abstinuisse virum eximium deflentes manusque sustulisse in mare conversos lugentesque eum appellasse. Agamemnoni omnes fuisse iratos, qui tantum non propriis manibus Aiaci parasset perniciem."

Sequuntur haec:

„Aiacem *ἐναγισμάτων τυχεῖν, ἃ μήπω ἐπηνέχθη πρότερον μήτε μὴν ὕστερον ἀνθρώπῳ τινί, μηδ' ὁπόσους ναυμαχίαι ἀφανεῖς ἔσχον· ἐς γὰρ Λοκρίδα ναῦν ᾗ τὸν Αἴαντα ἦγεν ξύλα νήσαντες, ὥσπερ ἐς πυράν, ἔσφαξαν μέλανα πάντα καὶ στείλαντες αὐτὴν ἱστίοις μέλασι καὶ τοῖς ἄλλοις ὅποσα ἐς τὸ πλεῖν εὕρηται, ξυνεῖχον πείσμασιν ἔστε πνεῦσαι τὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἄνεμον, ὃν περὶ ὄρθρον μάλισθ' ἡ Ἴδη ἀποστέλλει. ἐπεὶ δ' ἡμέρα διεφαίνετο καὶ κατῄει τὸ πνεῦμα πῦρ ἐς κοίλην τὴν ναῦν ἐνῆκαν. ἔπλει τε δὴ μετεωρίζουσα ἐς τὸ πέλαγος, καὶ οὔπω ἡλίου ἀνίσχοντος αὐτή τε κατεφλέχθη καὶ ὁπόσα τῷ Αἴαντι ἔφερεν.*"

Eadem fere narrantur apud Tzetzam ad Lycophr. Alex. 365, additis verbis quibusdam memoratu perdignis. Aiacem enim post dolum ab Agamemnone et Ulixe sibi structum, cum in mari interiisset tali modo a Locrensibus esse placatum: „*μαθοῦσα δὲ ἡ Λοκρὶς ἅπασα τὸ συμβὰν ἐπὶ χρόνον ὅλον μελανηφοροῦσα τὸν ἄνδρα ἐπένθησε καὶ ἐτησίως ὁλκάδα πληροῦσα θυσιῶν μεγαλοπρεπῶν καὶ πῦρ ἐμβάλλουσα τῇ ὁλκάδι, ἐξαρτῶσα τὲ μέλαν ἱστίον αὐχένων χωρὶς ἔπεμπε πρὸς τὸ πέλαγος κατακαιέσθαι θυσίαν τῷ ἥρωι.*"

Αὐχήν hic pro toto gubernaculo accipiendus videtur (cf. Polluc. I 90, ubi partem modo indicat). Navigabant itaque hae naves ut Phaeacum illae, quibus non

κυβερνητῆρες ἔασι
οὐδέ τι πηδάλἰ ἔστι, τά τ' ἄλλαι νῆες ἔχουσι·
ἀλλ' αὐταὶ ϝίσασι νοήματα καὶ φρένας ἀνδρῶν
καὶ πάντων ϝίσασι πόλις καὶ πίονας ἀγροὺς
ἀνθρώπων, καὶ λαῖτμα τάχισθ' ἁλὸς ἐκπεράουσι (θ 557 sqq.)·

Locrensium autem navigium non ipsum viam sciebat, sed ventis tradebatur, ut quo numina marina vellent cursum teneret·

Quod vero apud Philostratum semel factum esse videtur atque id in litore Troiano, hoc apud Tzetzam apparet fuisse sacrificium solemne non peregrina in regione, sed ipsa in patria habitum. Accedit quod Philostratus loquitur de ἐναγίσμασι i. e. de sacrificiis oblatis illis heroibus, quorum benevolentiam sibi adsciscere volebant homines precantes, ut fausta omnia patriae praeberent mala autem et calamitates averterent.

„Neben dem Wunsch die Wohltäter des Landes zu verehren und sich ihres Segens für alle Zeit zu versichern ist die Angst vor verderblichen Wirkungen der Geister derer, die Unrecht erlitten haben, vor allem unschuldig Gemordeter, die Veranlassung zu Heroisierungen gewesen; man hoffte so ihren Rachedurst zu versöhnen" (Stengel Kultusaltert. p. 125).

Ἐναγίζειν, ἐναγίσματα de heroibus usurpatur, θύειν de deis dicitur (Herod. V, 47). Affert quidem Deneken apud Roscherum (Lexic. I 2506) ex Arriani Anabasi (VII, 14, 7) locutionem ὡς ἥρωϊ θύειν, sed locum ipsum inspicientibus apparebit Deneken locum male laudasse. Verba enim sunt:

„ἐναγίζειν τε ὅτι ἀεὶ ὡς ἥρωϊ ἐκέλευεν Ἡφαιστίωνι, τοῦτο μὲν πρὸς τῶν πλείστων ἀναγέγραπται· οἱ δὲ λέγουσιν ὅτι καὶ εἰς Ἄμμωνος ἔπεμψεν ἐρησομένους τὸν θεὸν εἰ καὶ ὡς θεῷ θύειν συγχωρεῖ Ἡφαιστίωνι· τὸν δὲ οὐ συγχωρῆσαι."

Tzetzes autem τὸ ὁλοκαύτωμα Aiaci oblatum appellat θυσίαν τῷ ἥρωι. Non facile unius Tzetzae verbis fretus affirmarim Locrenses Aiacem non pro heroe, sed pro δαιμονίῳ τῳ habuisse. Sed post ea quae supra de Aiace disputavimus vel Tzetzae verba observatu digna videntur. Animadverte quoque tempus, quo navem incensam in altum inmittere solerent. Fiebat ἐπεὶ ἡμέρα διεφαίνετο. Dixeris factum id esse quia venti matutini mare versum flare solent. At observa addita esse haec: „καὶ οὔπω ἡλίου ἀνίσχοντος αὐτὴ κατεφλέχθη". Videsne sacrificium factum esse primo diluculo brevi tempore ante solis ortum? Quid hoc sibi vult? Ad verba Pindari (Isthm. IV, 110):

τοῖσιν ἐν δυσμαῖσιν αὐγᾶν
φλὸξ ἀνατελλομένα συνεχὲς

παννυχίζει, αἰθέρα κνισᾶντι λακτίζοισα καπνῷ

scholiasta annotat: „*τοῦτό φησιν ὡς περὶ τὴν ἑσπέραν τελουμένων τῶν νομίμων τοῖς Ἀλκαΐδαις, δι' ὅλης οὖν φησι νυκτὸς τὴν πυρκαϊὰν μένειν μέχρις ἀνατολῆς ἡλίου. ἔθος πρὸς δυσμὰς ἱερουργεῖν τοῖς ἥρωσι κατὰ τὰς ἀνατολὰς τοῖς θεοῖς*".

Confirmat haec schol. Apoll. Rhod. I 587: „*τοῖς μὲν οὖν κατοιχομένοις ὡς περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζουσιν, τοῖς δὲ οὐρανίδαις ὑπὸ τὴν ἕω ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου*". (de *κατοιχομένοις*: mortuis, quos Philostratus vocat *ἀφανεῖς*, vide Demosth. 43, 67).

Confirmat quoque Pausanias (II, 11, 7): „*τῷ μὲν Ἀλεξάνορι ὡς ἥρωι μετὰ ἥλιον δύνοντα ἐναγίζουσιν Εὐαμερίωνι δὲ ὡς θεῷ θύουσιν*".

Aiaci vero neque ut heroibus vesperi neque ut deis sole oriente sacrificabatur, sed paulo ante ortum solis (*οὔπω ἡλίου ἀνίσχοντος αὐτή τε κατεφλέχθη καὶ ὁπόσα τῷ Αἴαντι ἔφερεν*). Aliudne igitur aliquid fuit Aiax? Ita, ut capite XIV° demonstrare conati sumus; quae opinio novo nunc indicio defenditur. Nam non ad *θεούς* sed ad *τὰ δαιμόνια* Aiax ab origine pertinet; ad daemones illos, qui imagine, factis, tota sua vita, exprimunt naturae vires indomitas, efferatas, certis a legibus abhorrentes.

„Iisne", rogas, „sacrificia fiebant"? Ita! dabimus exemplum luculentum. Narrat Pausanias VIII, 29: „*οὐ πόρρω <τοῦ Ἀλφειοῦ> Βάθος ἐστὶν ὀνομαζόμενον. πηγή τε αὐτόθι ἐστὶν Ὀλυμπιὰς καλουμένη καὶ πλησίον τῆς πηγῆς πῦρ ἄνεισι. Λέγουσι δὲ οἱ Ἀρκάδες τὴν λεγομένην Γιγάντων μάχην καὶ θεῶν ἐνταῦθα γενέσθαι καὶ θύουσιν ἀστραπαῖς αὐτόθι καὶ θυέλλαις τε καὶ βρονταῖς*".

Quae vero Philostratus narrat de Aiacis corporis magnitudine: „*διαφθαρῆναί ποτε τὸ τοῦ Αἴαντος σῆμα ὑπὸ τῆς θαλάττης, ὀστᾶ δ' ἐν αὐτῷ φανῆναι καθ' ἑνδεκάπηχυν ἄνθρωπον*" (Heroic. 2, 3), eadem de aliis narrantur et de Gigantibus, puta apud Pausaniam (VIII, 29). Cum Aiace nostro apte comparari possunt, quae de Gigante Ephialte narrantur. Habet in Gigantomachia adversarium Apollinem ([Apollod.] I, 6, 2, 2). Idem autem nomen gerit alter Aloeadarum,

οὓς δὴ μηκίστους 'θρέψε ζείδωρος ἄρουρα·

neque origine diversos fuisse gigantem et Oti fratrem iam coniecit Preller (Gr. M. I 71). Nam ut Gigantes montes evulsos in deos coniciunt, sic Aloei filii montibus usi sunt non ut Olympum attingerent sed ad deos opprimendos. Perperam enim λ 315 res depingitur.

Mater autem Aloeadarum erat Iphimedia Triopis filia. Triops vel τριόφθαλμος vel Oxylus supra cum Hodoedoco Oilei patre comparabatur. Iuxta Aloeum Neptunus Ephialtis audit pater (Hesiod. fr. 9); ita ut *Αἴαντε* cum numine marino coniuncti possint cum Aloeadis fratribus e Neptuno genitis conferri. Aiax rapere voluit Cassandram, sed Otus Minervam, Ephialtes Iunonem.

Cum hisce comparandi sunt Cteatus et Eurytus Neptuni filii ab Homero duali forma *Μολίονε* (*Λ* 709) vel *Ἀκτορίωνε* (*Λ* 750) indicati. Sicut Aiante hi quoque apud poetam iam facti sunt heroes, quod de Aloeadis in carmine epico nondum dici potest. Sed quod non fecit Homerus factum est temporibus volventibus: Naxi enim Aloeadae heroum fruebantur cultu (Serv. Aen. VI, 582). Pausanias (IX, 22) eorum sepulcrum Anthedone memorat, cuius loci eponymum Antham Atlantis nepotem filium Neptuni et Alcyonae supra Telamonis in stemmate invenimus. Adice Aloeadas quoque Hygino teste, ut Aiacem, a vulneribus tutos fuisse. Iniuriane contendimus Aiaces et Aloeadas inter se comparari posse? Non opinor; neque mirum videbitur reputantibus nos hic versari in daemonum genere, qui ad unum omnes naturae vegetae exprimant vim inexhaustam, ingentem, indomitam; hosce autem daemones pro deis habitos esse a Graeciae incolis, quo tempore Olympii imperium nondum obtinuissent; postea vero Olympiis supra cetera numina elatis quasi pugnam inter novos dominos atque ceteros maris terraeque daemones exarsisse; hos autem dehinc non a ruricolis sed a poetis epicis quasi origine inferiores, cultu divino indignos, terrigenas, rerum novarum semper appetentes habitos esse. Quae enim maioribus fuit religio superstitio fit iunioribus.

XVI. Quaestiones quaedam genealogicae.

Pindaro auctore in oda Olympiaca nona inter Locridem et Elidem exstiterunt rationes, quas quicunque de cultu quodam in Locride observato vult agere impune silentio praeterire non potest. Nam in huiusmodi investigationibus vel levissima indicia sunt sequenda, licet prorsus incertum sit annon quicquam inde proveniat.

Erat in Locride, ut refert Stephanus Byzantius p. 476, urbs quaedam *Φύσκος, ἀπὸ Φύσκου τοῦ Αἰτώλου τοῦ Ἀμφικτύονος τοῦ Δευκαλίωνος. Φύσκος δὲ ἀφ' οὗ οἱ Λέλεγες οἱ νῦν Λοκροί. Ῥιανὸς δὲ Φυσκέας αὐτοὺς καλεῖ, λέγεται καὶ Φυσκεύς.* (Cf. *Φυσκίων* ex Amphissa Collitz 2005[8], *Φύσκος, Φυσκίων* sacerdotes Aetoliae 2509[2], 2521[2]).

Φύσκος vel *Φυσκία* Lyciae quoque est urbs (Steph. Byz.); memorat Diod. Sic 14, 83 urbem Physcum Cariae in ora; Theocritus autem IV, 23 montem Physcum in Magna Graecia apud Crotonem; Thuc. II, 99 urbem *Φύσκαν* in Macedonia. Admodum vulgatum fuisse nomen videtur, quod, ut docet Stephanus, Lelegum in regionibus solitum a radice *φυ* est derivandum.

Narrat autem Pausanias (V, 16, 3 sqq.) sedecim mulieres quinto quoque anno in Elide peplum obtulisse Iunoni, deinde certamen eas iniisse in quo *καθεῖτό σφισιν ἡ κόμη, χιτὼν ὀλίγον ὑπὲρ γόνατος καθῆκε, τὸν δὲ ὦμον ἄχρι τοῦ στήθους ἔφαινον τὸν δεξιόν.*

Quivis agnoscit Amazonum vestitum. Duos hae mulieres formabant *χορούς*, alterum *τὸν Φυσκόας* alterum *τὸν Ἱπποδαμείας.* Sequitur:

„*τὴν Φυσκόαν δὲ εἶναι ταύτην φασὶν ἐκ τῆς Ἤλιδος τῆς κοίλης, τῷ δήμῳ δὲ ἔνθα ᾤκησεν ὄνομα Ὀρθίαν εἶναι*".

Fuitne igitur Physcoa Eliaca quaedam Orthia vel *Ὀρθωσία?*

Dicunt, ita pergit Pausanias, „*ταύτῃ τῇ Φυσκόᾳ Διόνυσον συγγενέσθαι, Φυσκόαν δὲ ἐκ Διονύσου τεκεῖν παῖδα Ναρκαῖον· τοῦτον Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἐπίκλησιν Ναρκαίας ἱδρύσασθαι. Διονύσῳ τε τιμὰς λέγουσιν ὑπὸ Ναρκαίου καὶ Φυσκόας δοθῆναι πρώτων*".

Nuptiae Bacchi cum Physcoa unde genitus Narcaeus, qui primus Minervae condidit templum, spectant ad cultum quendam Eliacum triadem deorum amplexum, quo erant coniuncti Bacchus, Diana (Orthia), Minerva. Physcoae vero nomen ex Elidė ad Locrenses nos reducit et quidem ad urbem Locrensem Physcum, neque in hac regione Bacchi nuptiarum vestigia afuerunt, nam ex Homeri Hesiodique certamine (vs. 216) apparet *ἑορτὴν* Ariadnes actam esse in Locridis urbe *Οἰνόῃ*. Nimirum agebantur ibi Ariadnes cum Baccho nuptiae.

Exstabat quoque urbs Eliaca dialectice appellata *Βοινόα*, quod nomen quin cum Oeneo Aetolio et cum Oenomao Eliaco cohaereat nullus puto dubitabit. Sed pater Oenei Phytius est, cuius urbs in Elide vocatur Phyteum. Contendit Luebbert (Ind. lect. Bonn. 1882) Phyteum idem fuisse ac Boenoam. Agnoscimus Pindari observationem serie nominum in utraque regione obviorum confirmari; intellegimus nomina haec simillima similium cultuum indicia continere, sed vel minima Aiacis Telamonisve mentio abest. Unde apparet optimo iure supra nos statuisse Telamonis cultum ad Sinum Saronicum esse quaerendum. Et revera simulac orientem versus gressus tulimus nostros vestigia cupita detegimus.

Audivimus enim Bacchi sacras nuptias actas fuisse *Λοκρίδος ἐν Οἰνόῃ*. Est haec urbs Locridis Ozolidis; vidimus autem supra ipsius Aiacis memoriam superesse in Locride Opuntia. Iam primum introspiciamus quaenam exstiterit ratio genealogica hasce inter regiones.

Opus locus erat

ἶν' αἰολοβρόντα Διὸς αἴσᾳ
Πύρρα Δευκαλίων τε Παρνασοῦ καταβάντε
δόμον ἔθεντο πρῶτον, ἄτερ δ' εὐνᾶς ὁμόδαμον
κτησάσθαν λίθινον γόνον·
λαοὶ δ' ὀνόμασθεν.

Horum filius erat Amphiction, qui ipse genuit Aetolum. Ex Aetolo natus est Physcius, cuius nomen cum Physcoae illo cohaeret. Habebat Physcius filium Locrum, qui rex erat Lelegum

Boeotiae in regionibus Euboeae oppositis habitantium. Postea vero a regis nomine Leleges vocabantur Locrenses.

Hanc Scymni sapientiam (587 sqq. Müll. GGM I) minime esse abiciendam docent Hesiodus et Pindarus idem testantes. Fragmentum Hesiodeum iam supra laudavimus (115 Rz.):

ἤτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,
τούς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα Ϝειδώς
λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέας πόρε Δευκαλίωνι.

Cecinit autem Pindarus (Ol. IX, 56 sqq.):

(Ζεὺς) Ὀλύμπιος ἀγεμών
θύγατρ' ἀπὸ γᾶς Ἐπειῶν Ὀπόεντος ἀναρπάσαις ἕκαλος
μείχθη Μαιναλίαισιν ἐν δειραῖς, καὶ ἔνεικεν
Λοκρῷ, μὴ καθέλοι νιν αἰὼν πότμον ἐφάψαις
ὀρφανὸν γενεᾶς, ἔχεν δὲ σπέρμα μέγιστον
ἄλοχος, εὐφράνθη τε ἰδὼν ἥρως θετὸν υἱόν,
μάτρωος δ' ἐκάλεσσέ νιν
ἰσώνυμον ἔμμεν,
ὑπέρφατον ἄνδρα μορφᾷ τε καί
ἔργοισι. πόλιν δ' ὤπασεν λαόν τε διαιτᾶν.

Iuppitur igitur ex rapta Opuntis Epeiorum regis filia genuit filium, quem transtulit ad Locrum Lelegum regem. Hic puerum adoptavit nominavitque de avo materno Opuntem.

Fuit revera urbs et flumen Elidis nomine Opuntis (schol. Pind. Ol. IX, 64, 85). Sed quodnam nomen gessit filia illa, quam Iuppiter Epeio Opunti surripuit. Respondet Plutarchus (Qu. Gr. XV): „*Φυσκίου Ἀμφικτίονος υἱὸς ἦν Λοκρός. ἐκ δὲ τούτου καὶ Καβύης Λοκρός.*

Emendandum censeo *ἐκ δὲ τούτου καὶ Καβύης Ὀποῦς.* Nam Plutarchus breviter rem expediens Iovis mentionem facit nullam, e Locro vero genitum esse facit illum, quem procreaverat Iuppiter. Carmine autem Pindarico supra laudato docemur huius pueri nomen fuisse non Locrum sed Opuntem.

Mirum nomen gerit mater *Καβύη* quam Aristoteles appellasse videtur *Καμβύσην*. Legendum esse crediderim *Καφύη* nisi *Καβύη* alia eiusdem nominis habenda sit forma. *Καφύη* vel *Καπύη*

nympha erat sub cuius tutela florebat Arcadiae urbs prope ab Orchomeno *Καφύαι* (Paus. VIII, 13, 3). Sed in via quae Caphyis Orchomenum ducit *Ἀγχισία τε ὄρος καὶ Ἀγχίσου μνῆμά ἐστιν ὑπὸ τοῦ ὄρους τοῖς ποσίν. ὡς γὰρ δὴ ἐκομίζετο ἐς Σικελίαν ὁ Αἰνείας ἔσχε ταῖς ναυσὶν ἐς τὴν Λακωνικὴν καὶ τὸν πατέρα Ἀγχίσην αὐτόθι τοῦ βίου τῇ τελευτῇ χρησάμενον ἔθαψεν ἐνταῦθα.*

Scimus Anchisis patrem fuisse Capyn, nomen cum Caphya cohaerens:

Ἀσσάρακος δὲ Κάπυν, ὁ δ' ἄρ' Ἀγχίσην 'τέκε παῖδα.

Hisce perspectis intellegitur, cur ad *Maenalum* montem abduxerit virginem Iuppiter. Hic enim patria eius erat. Item apparet, quod alii alio modo probarunt, Azaniam i. e. regionem Pheneo Orchomenoque vicinam genealogice cum Locride fuisse coniunctam. Sed ad rem revertamur.

Locrus mox cum Opunte filio suo discordans patriam reliquit et oraculo iussus urbem condidit, ubi a cane ligneo morsus erat *ὑπερβαίνων εἰς τὴν ἑτέραν θάλασσαν* (quod explicat Eustath. *B* p. 277 verbis: *εἰς τὰ πρὸς ἑσπέραν τοῦ Παρνασσοῦ*). Pede enim laesus rubo canino in Ozolide *ἔκτισε πολεῖς Φυσκεῖς καὶ Ὑάνθειαν.* Effecerat scilicet e rubi nomine *κυνοσβάτῳ* hunc esse canem quem oraculum volebat.

Vidimus igitur ex hoc nominum catalogo, quod exspectavimus, utramque Locridem eandem genealogiam esse amplexam; hisce autem cum regionibus connectendam esse Arcadiae partem septentrionalem. Exempli causa apud Pherecydem (schol. *λ* 825) Locrus audit filius Iovis et Maerae. Erat Maera illa non Proeti Argivi filia sed Atlantis, *ἧς δὴ καὶ Ὅμηρος ἐποιήσατο μνήμην ἐν Ὀδυσσείας λόγοις πρὸς Ἀλκίνοον περί τε ὁδοῦ τῆς ἐς Ἅιδην καὶ ὁπόσων ἐθεάσατο ἐκεῖ τὰς ψυχάς* (Paus. VIII, 48, 6).

Ubi vero sepulta iacebat Maera? *Τεγεάταις τοῦ λόγου τὸ εἰκὸς ἕπεται Μαῖραν τὴν Ἄτλαντος παρὰ σφίσι ταφῆναι* (Paus. VIII, 12, 7). In ipsa igitur Maenali montis vicinia!

Stephanus Byz. habet: *Καφυαί.... ἀπὸ Κηφέως.* Verum an secus transitus fit ad Cepheum Alei filium Tegeae natum, qui ut narrat [Apollodorus] (II 143) Herculem adiuvit in expeditione

contra Hippocontidas suscepta. Sed Cepheus ibi interiit, ut duo alii interierant heroes, qui Herculi teste Pausania (VIII, 15, 6) in bello contra Elidem gesto tulerant opem. Fuerunt Chalcodon et .... Telamo.

Sunt enim, ut Pausaniae afferamus verba, prope ab Pheneo sepulchra eorum, qui Herculem in expeditione adversus Eleos adiuti domum non redierant:

„*τέθαπται δὲ Τελαμὼν μὲν ἐγγύτατα τοῦ ποταμοῦ τοῦ Ἀροανίου Χαλκώδων δὲ οὐ πόρρω κρήνης καλουμένης Οἰνόης. τὸν μὲν δὴ Ἐλεφήνορος τοῦ Εὐβοεῦσιν ἐς Ἴλιον ἡγησαμένου καὶ τὸν Αἴαντός τε καὶ Τεύκρου, τούτων μὲν τοὺς πατέρας οὐκ ἀποδέξαιτο ἄν τις ἐν τούτῳ πεσεῖν τῷ ἀγῶνι. πῶς μὲν γὰρ ἂν συνεπελάβετο Ἡρακλεῖ τοῦ ἔργου Χαλκώδων, ὃν πρότερον ἔτι ἀποκτεῖναι Ἀμφιτρύων καὶ μαρτυρεῖται καὶ πιστεύειν ἄξιά ἐστιν ἐν Θήβαις; πῶς δὲ Τεῦκρος ᾤκισεν ἂν Σαλαμῖνα ἐν Κύπρῳ πόλιν μηδενός, ὡς ἀνέστρεψεν ἐκ Τροίας, ἐκβαλόντος ἐκ τῆς οἰκείας; τίς δ' ἂν ἐξήλασεν ἄλλος πλὴν ὁ Τελαμὼν αὐτόν; δῆλα οὖν ἐστὶ Χαλκώδοντα οὐ τὸν ἐξ Εὐβοίας καὶ Τελαμῶνα οὐ τὸν Αἰγινήτην ἐπὶ Ἠλείους Ἡρακλεῖ μετεσχηκέναι τῆς στρατείας· ὁμώνυμοι δὲ ἐπιφανέσιν ἄνδρες ἀφανέστεροι καὶ ἐφ' ἡμῶν ἔτι καὶ τὸν ἅπαντα ἐγίνοντο ὁμοίως χρόνον*".

Ad incitas igitur redactus Pausanias eo venit, ut statueret hunc Telamonem ab Aiacis patre plane fuisse diversum, Chalcodontem non fuisse heroem ex Euboea oriundum.

Sed scholiasta ad Pind. Ol. I 114 Chalcodontem numerat inter Hippodamiae procos, licet eum nuncupet non *Χαλκώδοντα* sed *Χάλκοντα*. Ipsa nominis forma — recte observavit Immerwahr Kulte Arkadiens p. 115 — prodit eum fuisse unum e Spartis, ortum igitur Thebis. Ex angue ortus sepulcrum invenit iuxta fontem cui nomen *Οἰνόη*. Hoc vero nomen in Locride quoque repperimus. Versamur igitur in nominum serie media e Graecia in Peloponnesum translatorum.

Neque observatu indignum est in Hippodamiae procorum catalogo locum obtinere Pelopem *Opuntium* (vid. Schol. Pind. Ol. I 114), unde tam Robert quam Gruppe effecerunt Hippodamiae mythum in ipsa Opuntia natum inde Olympiam esse tralatum.

Dubitamusne quin etiam Telamo Herculis contra Eleos socius media e Graecia tralatus sit in Arcadiam?

Quodsi quis rogat, cuinam populo praesertim debeatur emigratio illa nominum, quae per totam mediam Graeciam, per Elidem, Arcadiam septentrionalem, insulas Sinus Saronici dispersa tantum non omnia Locridem respiciant, ita ut appareat Iliadis heroem fortissimum e daemonibus Locrensibus provenisse, respondemus fuisse Leleges. Hi quoque fuerunt, homines si qui alii maritimis dediti rebus, qui totum hunc cultum prae achaicum, quem non iniuria lelegeium nominaveris, secum transtulerunt orientem versus in Asiam Minorem.

XVII. Parergon mythologicum.

Versabamur Caphyis in Peloponneso prope ab Orchomeno atque statuebamus non multo hinc abesse τὰ Ἀγχίσια ὄρη. Sed in ipsa huius montis vicinia aliud nomen troianum occurrit, quod hisce de rebus agentibus minime silentio praetereundum videtur.

Legimus enim Paus. VIII 24, 3: „ἔστι δὲ καὶ Ζακυνθίων τῇ ἀκροπόλει Ψωφὶς ὄνομα, ὅτι ναυσὶν ἐς τὴν νῆσον ἐπεραιώθη πρῶτος καὶ ἐγένετο οἰκιστὴς ἀνὴρ Ψωφίδιος, Ζάκυνθος ὁ Δαρδάνου".

Psophide igitur habitabat olim heros nomine Dardani. At quis nescit Dardanum esse heroem, quem

πρῶτον 'τέκετο νεφεληγερέτα Ζεύς,
'κτίσσε δὲ Δαρδανίην, ἐπεὶ οὔ πω Ἴλιος ἱρὴ
ἐν πεδίῳ 'πεπόλιστο?

Alibi quoque Dardani nomen vel potius Dardaniae illud fit obvium. Habitabant Dardani in Illyria (Athen. VIII, 343). Strab. (VII, 313) ibi coniunxit Autariatas et gentem Dardanicam. Coniecit Fick (Vorgr. Ortsn. p. 108) Leleges ex ipsa Illyria ortos per Graeciam, insulas Aegaeas in Asiam minorem venisse

neque mirum foret, si Dardani quoque nomen eadem via ex eadem regione in Troadem pervenisset.

Dardaniae heros eponymus in Troade audiebat Iovis et Electrae filius; ex insula Samothrace in Troadem emigrasse ferebatur: „Ἠλέκτρας δὲ τῆς Ἄτλαντος καὶ Διὸς Ἰασίων καὶ Δάρδανος ἐγένοντο. Ἰασίων μὲν οὖν ἐρασθεὶς Δήμητρος καὶ θέλων καταισχῦναι τὴν θεὸν κεραυνοῦται, Δάρδανος δὲ ἐπὶ τῷ θανάτῳ τοῦ ἀδελφοῦ λυπούμενος Σαμοθρᾴκην ἀπολιπὼν εἰς τὴν ἀντίπερα ἤπειρον ἦλθε".

Duxit ibi uxorem Bateam unde progenuit filios Ilum et Erichthonium ([Apollod.] III, 12, 1). Iasionis Cererisque amores narravit Homerus ε 125 sqq.:

ὣς δ' ὁπότ' Ἰασίωνι ἐυπλόκαμος Δημήτηρ
ϝῷ θυμῷ ϝείξασα 'μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ
νειῷ ἔνι τριπόλῳ· οὐδὲ δϝὴν ἦεν ἄπυστος
Ζεύς, ὅς μιν κατέπεφνε βαλὼν ἀργῆτι κεραυνῷ,

et Hesiodus Theog. 969 sqq., qui addidit verba

Κρήτης ἐν πίονι δήμῳ.

Dardanus quoque hac in insula natus esse ferebatur (Serv. Aen. 3, 167). Varrone vero auctore Phenei i. e. in Arcadia prope ab Psophide lucem aspexit vitalem. Quinimo Strabonem si sequimur (VIII, 346), Dardani locus natalis reperiebatur in specu Triphyliae ad Anigrum flumen (ποταμὸν Μινυήιον Λ 722).

Chryse quoque Dardani uxor ex Arcadia oriunda erat (Dion. Hal. I, 68). Quid autem docet Schol. Apoll. Rhod. I 917?

„Διὸς καὶ Ἠλέκτρας ἐγένετο Ἰασίων καὶ Δάρδανος. Κάβειροι δὲ δοκοῦσι προσηγορεῦσθαι ἀπὸ Καβείρων τῶν κατὰ Φρυγίαν ὀρῶν, ἐπεὶ ἐντεῦθεν μετηνέχθησαν"!

Dardani igitur nomen cum Deis Magnis coniungebatur! Quod, ut fecit Bloch in Roscheri Lexico, non satis explicatur sententia: „Dardani nomen tunc demum cum Cabiris associatum esse cum Cabirorum cultus ex insula Samothrace Troiam transvexus esset"; nam, ut supra vidimus, Dardani nomen in ceteris quoque Graeciae partibus haud erat ignotum, neque herois eponymi nomen novo cum cultu coniungi potuisset, nisi certae exstitissent causae, quibus talis nexus explicari posset. Nam hic non

agitur de nominum quodam nexu docte a mythologis efficto, sed de re sancta ubi nomina summi pretii haberi solent, de Magnornm Deorum cultu et religione. Nomina Dardani et Iasionis simul in Cabirorum cultu nominantur, simul igitur tractanda sunt. Nomen Iasionis (ῑα) secerni non potest ab Ἴασον Ἄργος (ῑα), appellativo satis noto ex σ 244, ubi Eurymachus Penelopam sic alloquitur:

κούρη Ϝικαρίοιο περίφρον Πηνελόπεια,
εἰ πάντες σε Ϝίδοιεν ἀν' Ἴασον Ἄργος Ἀχαιοὶ,
μνηστῆρες πλέονές κεν ἐν ὑμετέροισι δόμοισι
ἠῶθεν δαινυίατ', ἐπεὶ περίεσσι γυναικῶν etc.

Ἴασον Ἄργος quid potest esse nisi Peloponnesus? praesertim ea pars, quae Ithacae proxima est. Loco supra laudato (ε 125 sqq.) depingitur *ἱερὸς γάμος* Iasionis cum Cerere peractus. Ecce autem Olympiae colebatur Ceres Chamyne (*χαμύνη* cf. homericum *ἐν νειῷ τριπόλῳ*), colebantur Dactyli inter quos Ἴασος (Paus. VI, 21, 1; V, 14, 7). Itaque in regione prope ab Psophide posita, ubi vigebat Dardani nomen, prope etiam ab antro Triphyliae, ubi natus erat Dardanus, utriusque nomen, tam Iasionis illud quam Dardani, cum Cerere coniunctum videmus.

Quid vero annotat Strabo ubi de antro Triphyliae sermonem facit? „*Ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ δύο ἄντρα, τὸ μὲν νυμφῶν Ἀνιγριάδων, τὸ δὲ ἐν ᾧ τὰ περὶ τὰς Ἀτλαντίδας καὶ τὴν Δαρδάνου γένεσιν.*" Respicit Iovis cum Electra Atlantis filia amores. Qui vero ex his amoribus nati erant? Nempe Dardanus et Iasion! Nemo autem melius docuit, quid ab origine fuerint Cabiri Lemnii, quam fecit Aeschylus. Parva fragmenta *Καβείρων*, e. g. fr. 96 Weckl., docent fuisse eos daemones fertilitatis; qua de re optime egit Fredrich (Mitteil. Arch. Inst. XXXI [1, 2] p. 77: „Aeschylos liess sie als freundliche Gaben der Erde spendende Dämonen auftreten; die Lemnos (dea) wird dabei zur Kabeiro, wie Demeter in Theben zur Kabeiria. Das Geborenwerden, Altwerden, Sterben in der Natur haben naturgemäss alle Naturvölker auf die Universalpotenz oder die Vegetationsdämonen übertragen. Wie der Kretische Zeus (cf. *Κρήτης ἐν πίονι δήμῳ* apud Hesiodum), so ist Dionysos

z. B, Kind und Zeus und gestorben, sodass nur seine Zeugungskraft im Phallos, das ist er selbst (cf. Dactylos, Mercurium Ithyphallum), dem Inhalt der mystischen Ciste (*κίστη τῶν Καβείρων*) erhalten bleibt." Non solum de seniore et de iuniore Cabiro loquuntur mythologi, sed etiam de fratribus Cabiris. Duo iuvenes Onnes et Tottes cistam Cabirorum Assessum portant (Nicol. Damasc. fr. 54). Duos fratres hic quoque repperimus Dardanum et Iasionem. Conicimus igitur Dardanum ob initio Cabirum quendam quales erant Lemnii fuisse; hoc modo atque hanc ob causam inter deos Samothracios eum esse exceptum.

Sed, ut Attis in stemmate regum Lydorum invenitur, sic Dardanus suum sibi locum accepit in regum Troianorum serie. Origo autem eius latet in religione antiquissima Lelegum atque Pelasgorum, qui populi, sicut summa sagacitate doctrinaque copiosa docuit Fick, e regionibus septentrionalibus Graeciam invaserunt perque insulas Minorem in Asiam transmigrarunt. „Die Religion der Pelasger ist gekennzeichnet durch eine grob sinnliche Verehrung der Zeugungs- und Gebärkraft der Natur, wie sie sich im Phallosdienste samt seinem weiblichen Gegenstücke ausspricht. Die Verehrung des Phallosidols grenzt an reinen Fetischdienst, die Pelasger waren es, die diesen unerfreulichen Zug in die griechische Religionsübung hineingetragen haben. Dies hat schon Herodot (II 51) klar erkannt." (Vorgr. Ortsn. p. 145).

De deis ithyphallis quomodo inter se sint coniuncti, quibusve variis nominibus diversis in Graeciae regionibus indicarentur, quomodo ad unum omnes cultu atque religione cum Terra Matre arcte essent conexi ingeniose egerunt Kaibel et Prott. Lemni e. g. Vulcanus Cabirorum in cultum acceptus erat, quo de nexu multa optimae frugis collegit Fredrich. Sed non omittenda fuerat observatio Photii: „*Κάβειροι· δαίμονες ἐκ Λήμνου· εἰσὶ δὴ ἤτοι Ἥφαιστοι ἢ Τιτᾶνες.*" Unde discimus inter *τοὺς Ἡφαίστους* et *τοὺς Τιτᾶνας* certam intercessisse congruentiam. E verbis vero Luciani (de Saltu 21, 79) „Priapus *τῶν Τιτάνων εἷς ἢ τῶν Ἰδαίων Δακτύ-*

λων" intellegimus, quaenam congruentia a Photii auctore respiciatur. Sub unum igitur conspectum colleguntur Dactyli, Titanes, Cabiri Lemnii, Priapi; quibus addi possunt Dioscuri, daemonum genus nautis ut Cabiri benevolum, Satyri, Sileni, Corybantes (cf. Strab. X 466). Huc etiam pertinet daemon ille Mercurius Cyllenius (Paus. VI, 26, 5); Hercules, qui apud Pindarum (Isthm. IV, 89) audit *μορφὰν βραχύς*, sed qui Thespiis veram suam naturam monstravit (*Ἡρακλέα ταῖς θυγατράσι πεντήκοντα οὔσαις ταῖς Θεστίου συγγενέσθαι πάσαις πλὴν μιᾶς ἐν τῇ αὐτῇ νυκτί*. Paus. IX, 27, 6); quare antiquis notus erat Hercules quidam *ὁ καλούμενος τῶν Ἰδαίων Δακτύλων* et Hercules, *ὁ Ἴδαιος*, cui primitiae omnium rerum, quotquot autumno terra producit, offerebantur. (Paus. IX, 19, 5). Quoquoversus spectamus, ubique in Graeciae religione antiquissima detegimus daemones vegetae fertilitatis figura ithyphallica conspicuos, alibi alia nomina gerentes, sed quibus indoles atque natura ubique una eademque fuit. Neque negari potest haudquaquam Dardanum illum, qui in antro Mercurii Triphyliae natus erat, licet in carmine epico veram exuerit naturam, a Dardano Samothracio fuisse dissimilem. Non nescimus Herodoti sententiam: „*τὰ Καβείρων ὄργια τὰ Σαμοθρήικες ἐπιτελέουσι παραλαβόντες παρὰ Πελασγῶν*" (II 51) hodie utpote ab Hecataeo desumptam addubitari; optime scimus cultum ipsum Cabirorum, cum nomen phoenicium esse videatur, a Phoenicibus invectum haberi, sed iam Welcker (Gr. Gött. III 173 sqq.) monuit discrepantiam exstare inter Phoenicum Cabiros („die hülfreichen Mächte in der Not des Sturmes und der Wogen") et Cabiros Lemnios („die Gaben der Erde spendenden Daemonen"). Num forte Samothracii Cabiri ab initio navigationis fuerint daemones, non curat Robert (Preller-Robert Gr. Myth. p. 849: „dass zu untersuchen ist nicht unsere Sache"). Nullo autem luculentiore documento demonstrari potest idem numen tam agrorum felicitati quam fluctuum motui prospicere posse quam Neptuno *Φυταλμίῳ* et Neptuno *ἁλιμέδοντι* inter se collatis. Sic inter se coniuncti sunt Telamo numen aquarum et Aiax daemon Locrensis virium terrestrium genius. Demonstrare

voluimus hunc nexum non modo quadrare in priscorum Graeciae incolarum de sacris rebus placita, sed vinculum tale fuisse quale pro his placitis exspectari posset.

XVIII. De virginum locrensium sacrificio.

Non modo Dardanus, Aeneas, Anchises in Peloponneso inveniuntur, sed in eadem regione Mercurii cultu notissima offendimus Lāmedontem Sicyonium regem, quem nullus, opinor, secernere vult — quod ad nomen attinet — a notiore illo Laomedonte Troiano. Quod si quem male habeant literae āo in ā contractae, adeat magnam exemplorum copiam congestam a Bechtel-Fick (Gr. Personennamen p. 184 sqq.). Lamedon gnatus erat Coroni; pepererat hunc Chrysorthe apud Apollinem. Genuit Lamedon filiam *Zeuxippam ex uxore attica*. *Zeuxippe* autem nupsit Sicyoni Metionis filio. Quis vero Metion erat? Erechthei filius. Denuo versamur, ut apparet, in nominum serie, quae Troadem, Atticam, Peloponnesi partem orientalem amplectitur. Minime igitur miramur — docet rem scholium ad *Γ* 250 — Laomedontem cum *Zeuxippe* ipsa in Troade genuisse filium Podarcem, cui postea Priami fuit nomen.

Lamedon successit Epopeo, qui vitiavit Antiopam. Statua huius Antiopae Sicyone in aede Veneris erat. Cuius rei memor sit, qui apud Suidam (s. v. *Ἀντιόπη*) legit virginem ipso in templo vitiatam fuisse. Notum enim argumentum est, quod revertitur in fabula de Melanippi et Comaethus amoribus narrata a Pausania (VII, 19, 2). Horum quoque amores inconcessos Dianae in fano peractos secuta est poena deorum; dehinc annuum puerorum sacrificium ab Achaeis deae iratae offerendum erat.

Eiusmodi sacrificium Minervae debebant Locrenses. Causa erat, si posteros audis, sacrilegium ab Aiace in Cassandram patratum. Digna autem est res, quae accuratius tractetur.

Narrat nobis Polybius XII, 5, haec: „Locrenses si audis, omnia illa quae de Locris Epizephyriis docuit Aristoteles magis conveniunt cum illis, quae memoria tenent ipsi, quam res fictae in medium prolatae a Timaeo". Addit Polybius argumenta. „Locrenses quoque docent *πάντα τὰ διὰ προγόνων ἔνδοξα παρ' αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γυναικῶν οὐκ ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν εἶναι. οἷον εὐθέως, εὐγενεῖς παρά σφισι νομίζεσθαι τοὺς ἀπὸ τῶν ἑκατὸν οἰκιῶν λεγομένους.*" Quaenam autem centum illae sunt familiae. Respondent Locrenses: „*ταύτας δ' εἶναι τὰς ἑκατὸν οἰκίας, τὰς προκριθείσας ὑπὸ τῶν Λοκρῶν πρὶν ἢ τὴν ἀποικίαν ἐξελθεῖν, ἐξ ὧν ἔμελλον οἱ Λοκροὶ κατὰ τὸν χρησμὸν κληροῦν τὰς ἀποσταλησομένας παρθένους εἰς Ἴλιον. τούτων δή τινας τῶν γυναικῶν συνεξᾶραι μετὰ τῆς ἀποικιάς, ὧν τοὺς ἀπογόνους ἔτι νῦν εὐγενεῖς νομίζεσθαι καὶ καλεῖσθαι τοὺς ἀπὸ τῶν ἑκατὸν οἰκιῶν*".

Centum igitur hae familiae prae ceteris illustres erant apud Locrenses priusquam colonia deducebatur; nam ex illis Locrenses oraculum obsecuti sorte legebant virgines, quae Ilium essent mittendae. Hisce autem e familiis mulieres quaedam cum maritis in coloniam profectae erant, ita ut ibi quoque earum propago nobilis haberetur et vulgo indicarentur nomine „qui e centum familiis oriundi sunt".

Affirmabat igitur Aristoteles in Epizephyriorum Republica iam ante coloniam Locrorum in Magnam Graeciam deductam — quod initio saeculi octavi factum esse videtur — virgines aliquot sorte ductas ex ipsa Locride certis temporibus Ilium missas esse.

Quemnam ad finem mittebantur?

Habet Plutarchus haec (De sera num. vind. 557 D): „*οὐ πολὺς χρόνος ἀφ' οὗ Λοκροὶ πέμποντες εἰς Τροίαν πέπαυνται τὰς παρθένους*

αἳ καὶ ἀναμπέχονοι γυμνοῖς ποσὶν, ἠύτε δοῦλαι,
ἠοῖαι σαίρεσκον Ἀθηναίης περὶ βωμὸν
νόσφι κρηδέμνοιο καὶ εἰ βαρὺ γῆρας ἱκάνοι

διὰ τὴν Αἴαντος ἀκολασίαν".

Velamine nudatae nudis pedibus servarum ad instar primo mane solum circum Minervae aram verrebant; sic ad senectutem perveniebant. *Ἀναμπέχονοι καὶ μονοχίτωνες*, ut amicta erat

pulcherrima illa Melissa, quae *ᾠνοχόει τῷ Περιάνδρῳ* (Athen. XIII, 589), poenam solvebant ob delictum quoddam commissum mansitque hic mos paene usque ad Plutarchi aetatem.

Ad initium igitur *τῆς ἡμετέρας ἐποχῆς*.

Hisce vero si adiunxeris verba Schol. *N* 66: „*Ἀθηνᾶ δὲ οὐδὲ οὕτω τῆς ὀργῆς ἐπαύσατο, ἀλλὰ καὶ τοὺς Λοκροὺς ἠνάγκασεν ἐπὶ χίλια ἔτη εἰς Ἴλιον ἐκ κλήρου παρθένους πέμπειν*" (Callim. in *α΄ Αἰτίων*), statuendum erit morem virginum piaculo mittendarum inde a Troiae exitu per millennium usque ad Christum natum obtinuisse.

Versus supra allati a Meinekio Touppium auctorem secuto (Anal. Alex. p. 165) tribuebantur Euphorionis Chiliadibus; cogitabat et cogitat etiam nunc Herwerdenus de Iliu Perside. *Ἐπέχομεν.*

Plura memorat scholiasta ad Lycophr. Alex. 1141 sqq.: „*λοιμοῦ κατασχόντος τὴν Λοκρίδα διὰ τὴν εἰς Κασσάνδραν ἀθεμιτομιξίαν Αἴαντος ἔχρησεν ὁ θεὸς παρθένους ἐνιαυσιαίας εἰς Τροίαν τῇ Ἀθηνᾷ ἀποστέλλειν ἐπὶ χίλια ἔτη· πεμπόμεναι δὲ αὗται ἐφονεύοντο ὑπὸ τῶν Τρώων· προυπαντῶντες γὰρ οἱ Τρῶες ἐλιθοβόλουν αὐτάς· εἰ δέ τινες ἐκφύγοιεν ἀνελθοῦσαι λάθρα εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν τὸ λοιπὸν αὗται ἱέρειαι ἐγίνοντο· τὰς δὲ ἀναιρεθείσας ἔκαιον ἀκάρποις καὶ ἀγρίοις ξύλοις· τὰ δὲ ὀστᾶ αὐτῶν ἀπὸ Τράρωνος ὄρους τῆς Τροίας εἰς θάλασσαν ἔρριπτον· καὶ πάλιν οἱ Λοκροὶ ἀπέστελλον ἄλλας. ταύτης δὲ τῆς ἱστορίας καὶ Καλλίμαχος μέμνηται* (nempe in *α΄ Αἰτίων*).

Audimus sapientiam Callimacheam. „Pestilentia cum inter Locrenses ob stuprum ab Aiace in Cassandram commissum erupisset, Apollo iussit, ut per millennium *ἐνιαυσιαῖαι* virgines Troiam Minervae ad fanum mitterentur. Troiani autem virginibus insidiati cum telis ac lapidibus eas persequebantur. Quarum si quae Troianos effugientes Minervae templum assequi potuerant dehinc totam per reliquam vitam deae servitium in se recipiebant. Interfectas autem Troiani lignis sterilibus agrestibusque comburebant, ossa lecta de monte Trarone in mare proiciebant. Et *rursus* Locrenses mittebant alias." Non omnia haec sunt perspicua. *Ἐνιαυσιαῖος* vocabulum atticis inusitatum, sed quo recentiores pro *ἐνιαυσίῳ* uti solebant (qua de re vide

The new Phrynich. Ruth. p. 467) significat „unum annum natum", interdum autem „annuum" e. g. Herod. IV, 180: ὁρτῇ ἐνιαυσίῃ et Hesiod. O 447:

φράζεσθαι δ' εὖτ' ἂν γεράνου φωνὴν ἐπακούσῃς
ὑψόθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης.

In scholio nostro cum voce παρθένους coniuncta vox ἐνιαυσιαίας haud dubie valet „annuas." Cum igitur quotannis novae mitterentur puellae, quarum una vel altera templum assequebatur, non poterat, quin servarum numerus semper accresceret, plures quam certe binae semper in aede adessent. Etiam e verbis καὶ πάλιν οἱ Λοκροὶ ἀπέστελλον ἄλλας effeceris Locrenses nuntio virginum interfectarum audito *statim* intra euisdem anni spatium alias misisse. An forte significant haec verba: Locrenses anno sequenti in more virginum mittendarum perseverasse licet anno superiore nuntio tristissimo essent affecti?

Inspiciamus scholium ad Lycophron. Alex. 1155:

„Τίμαιος ἱστορεῖ ὅτι αἱ παραγενόμεναι παρθένοι ἐδούλευον ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς, δύο οὖσαι· εἰ δέ τις ἀποθάνοι ἑτέραν παραγίνεσθαι ἀντ' αὐτῆς, ἐκείνην δὲ οὐ θάπτεσθαι ὑπὸ τῶν Τρώων ἀλλὰ καίεσθαι ἀγρίοις ξύλοις, καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτῆς ῥίπτεσθαι εἰς θάλασσαν."

Prorsus alia docet, ut vides, Timaeus, nempe „virgines, quae ab insidiatoribus evasissent salvaeque in Minervae aedem pervenissent, sacerdotio quidem esse functas, sed semper binas simul in aede affuisse. Quarum si altera moreretur in huius locum ἔφεδρον missam esse, mortuam vero iustis caruisse funeribus."

Iam monuerat Polybius alia narrare Timaeum alia Locrenses ipsos et Aristotelem. Neque iniuria monuit, nam neque Timaeus loquitur de virginibus quotannis missis neque de virginibus interfectis iustove sepulcro post caedem privatis. Immo Timaeo auctore Locrensibus imperatum erat, ut binae semper servae in aede adessent, hunc vero numerum minui ne sinerent. E verbis autem, quae addidit Timaeus ἑτέραν παραγίνεσθαι ἀντ' αὐτῆς, effeceris illam virginem, quae mortuae succederet, semper vivam ad aedem pervenisse.

Sed fortasse obieceris scholium brevius esse quam e quo tute

aliquid effici possit. Quare audiamus epitomam Vaticanam ([Apollod]. Wagn. VI, 20 p. 222):

„Λοκροὶ (post Troiam captam) μόλις τὴν ἑαυτῶν καταλαβόντες, ἐπεὶ μετὰ τρίτον ἔτος τὴν Λοκρίδα κατέσχε φθορά, δέχονται χρησμὸν ἐξιλάσασθαι τὴν ἐν Ἰλίῳ Ἀθηνᾶν καὶ δύο παρθένους πέμπειν ἱκέτιδας ἐπὶ χίλια ἔτη. καὶ λαγχάνουσι πρῶται Περίβοια καὶ Κλεοπάτρα. αὗται δὲ εἰς Τροίαν ἀφικόμεναι διωκόμεναι παρὰ τῶν ἐγχωρίων εἰς τὸ ἱερὸν κατέρχονται· καὶ τῇ μὲν θεᾷ οὐ προσήρχοντο, τὸ δὲ ἱερὸν ἔσαιρόν τε καὶ ἔρραινον· ἐκτὸς δὲ τοῦ νεὼ οὐκ ἐξῄεσαν, κεκαρμέναι δὲ ἦσαν καὶ μονοχίτωνες καὶ ἀνυπόδετοι, τῶν δὲ πρώτων ἀποθανουσῶν ἄλλας ἔπεμπον. εἰσῄεσαν δὲ εἰς τὴν πόλιν νύκτωρ, ἵνα μὴ φανεῖσαι τοῦ τεμένους ἔξω φονευθῶσι. μετέπειτα δὲ βρέφη μετὰ τροφῶν ἔπεμπον. χιλίων δὲ ἐτῶν παρελθόντων μετὰ τὸν Φωκικὸν πόλεμον ἱκέτιδας ἐπαύσαντο πέμποντες.

Observa hic confirmari, quae supra e Timaeo effecimus. Nam et hic si perpendimus verba τῶν δὲ πρώτων ἀποθανουσῶν ἄλλας ἔπεμπον, non possumus quin concludamus: non unoquoque anno, sed tunc demum, si priores virgines mortuae essent, alias e Locride esse missas, neque igitur unquam plures quam binas in templo affuisse. Accedit quod hac quoque in re epitoma cum Timaei verbis conveniat: persecutos quidem esse virgines missas Troianos at non interfecisse. Cavendum autem fuisse puellis, ne ἄσυλον relinquerent, siquidem mortem violentam effugere vellent. Adduntur nomina earum quae primae missae sunt, quarum altera Periboea appellata videtur; nimirum matris Aiacis nomine.

Id quoque audimus tempus fuisse, quo Locrenses infantes cum nutricibus mitterent, nec non mirabundi docemur mori finem fuisse impositum post bellum Phocaicum (± 350) gestum. Quod minime congruit cum Plutarchi verbis supra allatis: „οὐ πολὺς χρόνος ἀφ' οὗ Λοκροὶ πέμποντες εἰς Τροίαν πέπαυνται τὰς παρθένους"; neque convenit cum inscriptione Locrensi ex initio saeculi tertii a. C. n., in qua de virginibus mittendis ut de re bene servata minimeque abrogata sermo fit (Anz. phil. hist. Kl. Wien. Akad. 1897 XXVI p. 9).

Fieri potest usum fuisse per tempus aliquod intermissum, quod verisimile fit scholio ad Lycophr. Alex. 1159 allato:

„συνέβη μιᾷ στελλομένῃ ἐκ Λοκρίδος διαφθαρῆναι ἐπί τινος λόφου τῆς Τροίας καλουμένου Τράρωνος· εἶτα τοὺς Λοκροὺς τὴν μὲν θάψαι σιωπῆσαι δὲ καὶ μηκέτι πέμπειν τὰς παῖδας, φάσκοντας πεπληρῶσθαι τὸν τῶν ἐτῶν χρόνον· ἀκαρπίας δὲ κατασχούσης αὐτοὺς πάλιν πέμπειν οὐκέτι δύο ἀλλὰ μίαν, ἀρκοῦσαν εἶναι δοκοῦντας τὴν τιμωρίαν· ὁ δὲ χρησμὸς οὐκ εἶχεν ὡρισμένον χρόνον· ἀλλ' εἰς δύο ἀντὶ τῆς ἀδικίας <εἰς> τὴν Κασσάνδραν".

Virgines igitur, licet Troiani eas persequerentur, comitum sagacitate et vigilantia fere semper salvae evadebant. At, sicut Plutarchi aetate Zoilus sacerdos Orchomenius virginem quam in Agrioniis stricto gladio persequebatur infeliciter necavit (Qu. Gr. 38), ita puellae cuidam e Locride missae infelici quodam casu evenit, ut Traronis in colle amitteret vitam. Locrenses vero, quorum curae misera, ut tuta Minervae ad aedem evaderet, erat commissa, mortuam sepeliverunt (videsne ne verbum quidem fieri de consuetudine a Callimacho memorata, qua Troiani mortuas comburere soliti fuisse dicebantur?) maestam rem parentes celaverunt, magistratibus solis nuntiarunt. Tunc senatores, ne tale quid iterum fieret, edixerunt: „populum iam satis superque oraculo oboedivisse, praeterlapsa esse saecula quibus sacrificium esset mittendum itaque placere ut mos abrogetur." Ecce autem sterilitas agros vexabat. Tum a diis admoniti morem antiquum Locrenses instaurarunt, sed pro duabus — duae enim mittendae erant quoniam longo tempore intermisso utraque serva Troiae mortua erat — unam modo servam Minervae Troianae devoverunt; sic satis esse rati.

Monet scholium hac in re Locrenses oraculum non recte esse interpretatos, quod haud dubie binas servas exigeret; de tempore autem nil fuisse statutum. Quod scholium (exstat ad vs. 1159) optime coniungi potest cum iis, quae supra a Timaeo (Lyc. Alex. 1155) accepimus, necnon cum iis, quae in epitoma relata — sed haud dubie Timaeo debita — invenimus.

Conicimus igitur paulo post bellum Phocaicum morem esse interruptum, postea vero in integrum esse restitutum.

Solebant Locrenses simul cum virginibus emittere viros aliquot, qui ducum officio fungerentur. Confirmat Aeneas Tacticus scriptor saeculi quarti a. C. n. hisce verbis (Poliorcet. 31, 24): „prorsus impediri nequit ne in urbem oppugnatam dolo aliquid introducatur. Nam licet vigilanter caveant Ilienses ne Locrides oppidum clam introeant, operam perdunt. Locrenses enim ita vafre prudenterque rem sibi mandatam perficiunt, ut iam per multos annos eorum opera virgines Troiam introduci potuerint."

Non miramur Locrenses filias suas sagacibus peritisque comitibus commendasse; res enim erat aleae plena. Magis autem mirandum ac fere ridiculum videtur, fuisse tempus, quo non amplius virgines adultas sed infantes cum nutricibus mitterent. Quis non aliunde quoque rem quam maxime dubitationi obnoxiam confirmari velit? Fierine potest, ut aliquis verba Callimachea (*παρθένους ἐνιαυσιαίας* schol. Lyc. Alex. vs. 1141) male interpretatus, quasi valerent „virgines unum annum natas", epitomam praepostere supplerit, additis nutricibus, quia sola *τὰ βρέφη* ire non possent?

Sed transeamus ad Servium apud quem legimus (Aen. I 41): „dicitur Minerva ob vitiatam Cassandram in templo suo solius Aiacis poena non fuisse contenta, ut postea per oraculum de eius regno quotannis *unam* nobilem puellam iusserit Ilium sibi ad sacrificium mitti et quod est amplius de ea tribu, de qua Aiax fuerat, sicut Annaeus Placidus refert."

„*Unam*" illud convenit cum verbis scholii ad Lycophr. Alex. vs. 1159 „*αὐτοὺς πάλιν πέμπειν οὐκέτι δύο ἀλλὰ μίαν.*" Quod igitur post bellum Phocaicum fieri solebat, ut una modo victima mitteretur, id apud Servium quasi ipso oraculo praescriptum fuisse narratur. Adicitur quidem „quotannis" at post omnia illa, quae supra hac de re observavimus, ne Placidus quidem cum Servio inducere nos possunt ut credamus, virginum numerum in aede servili munere fungentium, si quotannis una accederet, tamen *duas* semper mansisse. Omnem enim dubitationem eximit Timaeus verbis: „*αἱ παρθένοι ἐδούλευον δύο οὖσαι*". Revertitur autem *τὸ* quotannis

apud Aelianum in fragm. s. v. *ποινή*: „*ὁ Ἀπόλλων φησὶ πρὸς Λοκροὺς μὴ ἂν αὐτοῖς τὸ δεινὸν λωφήσειν* (sic), *εἰ μὴ πέμποιεν ἀνὰ πᾶν ἔτος δύο παρθένους εἰς τὴν Ἴλιον τῇ Ἀθηνᾷ Κασάνδρας ποινήν, ἕως ἂν ἱλεώσητε τὴν θεόν.*" Ultima verba *ἕως—θεόν* ex oraculo *ἐν τριμέτρῳ τόνῳ* composito petita videntur.

Venimus ad Tzetzae verba, quibus explicat Lycophr. vs. 1141. Sunt haec: „*ἔχρησε δ' ὁ θεὸς ἱλάσκεσθαι Ἀθηνᾶν τὴν ἐν Ἰλίῳ ἐπὶ ἔτη χίλια δύο παρθένους πέμποντας ἐπὶ κλήρῳ καὶ λαχήσει. πεμπομένας δὲ αὐτὰς προυπαντῶντες οἱ Τρῶες, εἰ κατέσχον, ἀνῄρουν καὶ καίοντες ἀκάρποις καὶ ἀγρίοις ξύλοις τὰ ὀστᾶ αὐτῶν ἀπὸ Τρήρωνος ὄρους τῆς Τροίας τὸν σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔρριπτον. καὶ πάλιν οἱ Λοκροὶ ἑτέρας ἔστελλον. εἰ δέ τινες ἐκφύγοιεν ἀνελθοῦσαι λάθρα εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἱέρειαι ἐγένοντο. ἔσαιρον γὰρ αὐτὸ καὶ ἔρραινον. τῇ δὲ θεᾷ οὐ προσήρχοντο οὔτε τοῦ ἱεροῦ ἐξήρχοντο, εἰ μὴ νύκτωρ. ἦσαν δὲ κεκαρμέναι μονοχίτωνες καὶ ἀνυπόδετοι. πρῶται δὲ τῶν Λοκρίδων παρθένων Περίβοια καὶ Κλεοπάτρα ἀφίκοντο. καὶ πρῶτον μὲν τὰς παρθένους εἶτα βρέφη ἐνιαύσια μετὰ τῶν τροφῶν αὐτῶν ἔπεμπον οἱ Λοκροί. χιλίων δ' ἐτῶν παρελθόντων μετὰ τὸν Φωκικὸν πόλεμον ἐπαύσαντο τῆς τοιαύτης θυσίας, ὥς φησι Τίμαιος ὁ Σικελός. μέμνηται δὲ τῆς ἱστορίας καὶ ὁ Κυρηναῖος Καλλίμαχος.*

Quicunque Tzetzae verba cum epitoma Vaticana et cum scholio ad Lycophronis vss. 1141 sqq. comparat, statim agnoscit apud Tzetzam unum in complexum coniuncta et conglutinata esse, quae epitoma et scholium diversa breviore in forma proponant. Observandum est apud Tzetzam reverti sententiam. „Locrenses postea etiam *βρέφη* misisse", quae res in scholiis ad Alexandram nusquam legitur at memoratur in epitoma Vaticana. Coniecimus supra e Callimachi verbis „*παρθένους ἐνιαυσιαίας*" in scholio ad Alex. vs. 1141 servatis sed male intellectis totam fabulam de infantibus missis esse excogitatam. Ecce apud Tzetzam exstant verba „*βρέφη ἐνιαύσια*". Nonne hoc adiectivo prorsus supervacaneo memores fimus *τῶν παρθένων ἐνιαυσιῶν*? Nonne hic perspicuum fit, quomodo e *παρθένοις ἐνιαυσιαίαις* factae sunt „infantes feminini generis *ἐνιαύσιοι*, vel *βρέφη ἐνιαύσια*, deinde *βρέφη*, denique „*βρέφη* cum nutricibus"? Errorem haud dubie

creavit scholiasta aliquis ad Callimachum; inde in Tzetzae scripta transmigravit.

Illa quoque, quae traduntur in scholio ad Lycophr. Alex. vs. 1159, inveniuntur apud Tzetzam hisce verbis concepta:

„*συνέβη μιᾷ τῶν Λοκρίδων στελλομένῃ διαφθαρῆναι ἐπί τινος λόφου τῆς Τροίας καλουμένου Τράρωνος. εἶτα τοὺς Λοκροὺς τὴν μὲν θάψαι, σιωπῆσαι δὲ καὶ μηκέτι πέμπειν τὰς παῖδας, δοκοῦντας πεπληρῶσθαι τὸν τῶν ἐτῶν χρόνον. ὁ δὲ χρησμὸς οὐκ εἶχε χρόνον ὡρισμένον ἀλλὰ ἀντὶ τῆς ἀδικίας τῆς Κασάνδρας ἐδήλου στέλλειν δύο κόρας. ἀκαρπίας δὲ μετὰ τὴν παῦσιν τῆς θυσίας κατασχούσης τὴν Λοκρίδα πάλιν ἔπεμπον, οὐκέτι δύο ἀλλὰ μίαν, ἀρκοῦσαν εἶναι δοκοῦντες τὴν τιμωρίαν*".

Collato scholio ad vs. 1159 denuo apparet Tzetzam eandem rem sed fusius descriptam praebere, stilo autem neglegentiore (cf. primum *δοκοῦντας* pro *φάσκοντας*; *πάλιν τὴν Λοκρίδα* pro *τὴν Λ. π.* Tzetzae imputandum non est).

Quid igitur omnes textus nostra sententia nos docent? Semper duas virgines usque ad bellum Phocaicum Minervae Troianae in templo servili functas esse efficio, numquam plures. Tum demum, si altera esset mortua, e Locride missam esse quae ei succederet, ita ut semper duae in aede Iliensi adessent Locrides. Mortuam vero, sive in ipso templo discessisset e vita, sive incauta extra aedem egressa obruta esset lapidibus, sepultam non esse, sed combustam lignis agrestibus; quidquid superesset mari esse mandatum. Persecutos esse Troianos virginem, quae Locrensibus ducibus in urbem irrepere conaretur. Antiquissimis fortasse temporibus virginem, si caperetur, esse obtruncatam atque eodem modo combustam. Mox autem sive neglegentia insidiatorum sive ducum sagacitate Locrides semper in templum pervenisse, donec infortunio quodam una in monte Trarone mortem obiret. Dehinc usum esse intermissum, sed oraculo monente ita instauratum, ut una modo serva in templo adesset, cui alia nisi mortuae non succederet.

Duarum virginum, quae primae fuisse missae tradebantur, altera nomen gerebat Aiacis matris, at non Aiacis minoris,

sed maioris. Meraene fortunae hoc tribuamus? An forte hic quoque parvum latet indicium illius aetatis qua nondum duo Aiaces sed unus modo existeret?

Optimo vero iure Geffcken in libro noto „die Geographie des Westens" scholium ad Lyc. Alex. vs. 1159 ascripsit Timaeo, quod iniuria Holzinger Alexandrae editor utilissimus atque doctissimus negaverat.

Fundamento certe uti licet ad Lycophronis verba sequentia interpretanda. Cassandra enim vaticinans sic alloquitur urbes Locrides (1151 sqq.):

ὑμεῖς ἐμῶν ἕκατι δυσσεβῶν γάμων,
ποινὰς Γυγαίᾳ τίσετ᾽ Ἀγρίσκᾳ θεᾷ,
τὸν χιλίωρον τὰς ἀνυμφεύτους χρόνον
πάλου βραβείαις γηροβοσκοῦσαι κόρας,
αἷς ἀκτέριστος ἐν ξένῃ ξέναις τάφος
ψάμμῳ κλύδωνος λυπρὸς ἐκκλυσθήσεται,
φυτοῖς ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας ὅταν
1158 *Ἥφαιστος εἰς θάλασσαν ἐκβράσῃ σποδόν*
1159 *τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης.*
ἄλλαι δὲ νύκτωρ ταῖς θανουμέναις ἴσαι
Σιδῶνος εἰς θυγατρὸς ἵξονται γύας,
λαθραῖα κὰκ κέλευθα παπταλώμεναι,
ἕως ἂν εἰσθρέξωσιν Ἀμφείρας δόμους
λιταῖς Σθένειαν ἱκέτιδες γουνούμεναι.
θεᾶς δ᾽ ὀφελτρεύσουσι κοσμοῦσαι πέδον
δρόσῳ τε φοιβάσουσιν, ἀστεργῆ χόλον
ἀστῶν φυγοῦσαι. πᾶς γὰρ Ἰλιεὺς ἀνὴρ
κόρας δοκεύσει, πέτρον ἐν χεροῖν ἔχων,
ἢ φάσγανον κελαινόν, ἢ ταυροκτόνον
στερρὰν κύβηλιν, ἢ Φαλακραῖον κλάδον,
μαιμῶν κορέσσαι χεῖρα διψῶσαν φόνου.
δῆμος δ᾽ ἀνατεὶ τὸν κτανόντ᾽ ἐπαινέσει
τεθμῷ χαράξας, τοὐπιλώβητον γένος.

Versu 1157 secuti sumus Hermannum pro vulgato corrupto:

ὅταν ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας φυτοῖς.

Sensus hic esse videtur: „Vos, o urbes Locrenses, poenas dabitis Minervae ob conubium meum cum Aiace nefarium. Virgines enim sorte ductae per millennium deae erunt sacrificandae, huius servitudini destinatae. Sepulcrum autem omissis solemnibus sacrificiis aliena in terra aqua marina parabit iis arenoso in litore, postquam ignis lignis sterilibus nutritus membra combusserit, cineres in mare fuerint deiecti".

Sepulcrum enim habebunt nullum at membris combustis cinis deicietur in mare, cuius fluctus Traronis alluunt radices. Sic fluctus cineres ossaque alluentes arenam constanter erodentes quasi in sepulcro effodiendo videbuntur occupati.

Hucusque, quantum per Lycophronem licet, clara sunt omnia. Sequitur vero sententia singulari numero expressa: *τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης*. Unde pendet? Geffcken (Tim. 12) ante hunc versum quaedam excidisse ratus post versum 1158 statuit lacunam. Holzinger versum 1159 arcte cum antecedentibus coniungens, verba:

φυτοῖς ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας ὅταν
Ἥφαιστος εἰς θάλασσαν ἐκβράσῃ σποδὸν
τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης

vertit: „*bis*(!) einst Hephaistos jener Maid Gebein verbrennt auf dürren Reisern und als Asche meerwärts treibt, die hoch von Treron's Klippen sich herabgestürzt". Annotat: „mit *τῆς ἐφθιτωμένης* spielt Lycophon auf einen (ihm aus Timaeos) bekannten Mythos an. Die erste Lokrerin rettete sich vor den Verfolgern durch einen Sprung von einem Felsen ins Meer".

Huius autem mythi de prima Locride neque vola nec vestigium apud auctores exstat, neque, credo, Holzinger ad talia confugisset nisi vocabulum *ὅταν* infeliciter vertens semet ipsum ad incitas redegisset. Nam ne apud Lycophronem quidem *ὅταν* verti potest „bis einst".

Attamen facere cum Geffcken, qui statuit lacunam, necessarium non ducimus. Nam quidni versus:

αἷς ἀκτέριστος ἐν ξένῃ ξέναις τάφος
ψάμμῳ κλύδωνος λυπρὸς ἐκκλυσθήσεται,

φυτοῖς ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας ὅταν
Ἥφαιστος εἰς θάλασσαν ἐκβράσῃ σποδὸν,
τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης

verti possunt: „undae sepulcrum parabunt virginibus simulac ignis membra combusserit cineresque in mare erint deiecti; unicuique scilicet virgini, cuius ossa e monte Trarone, ubi ipsa ad nihil igni fuerit reducta, mandabuntur mari".

Concisius quidem dictum est τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης pro τῶν ἐν λόφοις Τράρωνος κατακανθεισῶν καὶ ἐκ τῶν λόφων καταβληθεισῶν sed αἰνιγματωδῶς se exprimere solere et iusto brevius doctum illum Lycophronem quis nescit? Incipit poeta numero plurali (αἷς ξέναις), ut sensum exprimat generalem, transit ad numerum singularem (τῆς ἐφθιτωμένης), ut significet Troianos tali modo egisse *quotienscunque* serva in aede esset mortua atque in monte combusta.

Transeamus ad versus sequentes:

ἄλλαι δὲ νύκτωρ ταῖς θανουμέναις ἴσαι κ. τ. λ.

„Sed aliae noctu venient numero pares virginibus illis, quae (post hoc vaticinium) in aede morientur". Cassandra futura praedicens participio utitur futuro θανουμέναις. Mirabilia vero hoc de futuro excogitavit Holzinger, cuius annotationem non laudabimus; sensus vero quem e versu elicuit locum hic inveniat, ut appareat neminem ne virum quidem sagacissimum impune diutius in Lycophronis scriptis versari posse: „Also heisst ταῖς θανουμέναις ἴσαι: sie gehen in den sicheren Tod, sind schon so gut als todt".

Valet igitur hoc loco, si audimus Holzinger, ἴσαι: so gut als, ut *E* 438 δαίμονι ϝῖσος. Sed, ut de sensu iusto intricatiore taceam, refutat editorem articulus ταῖς. Dicendum enim fuisset θανουμέναις ἴσαι vel potius τεθνεώσαις ἴσαι.

Optime scholium sensum reddiderat graece: „ὅσαι γὰρ ἀπέθνησκον τοσαῦται ἀντ' αὐτῶν ἐστέλλοντο ἐν Τρῳάδι" (leg. εἰς Τρῳάδα). Pro virginibus igitur ipso in templo mortuis aliae aequo numero e Locride mittebantur. Si utraque serva mortua erat, mittebantur — ante bellum Phocaicum — duae; si altera demum

supremum obierat diem mittebatur una. Ne Lycophron quidem de virginibus quotannis missis loquitur.

Ceteros Lycophronis versus, cum satis sint perspicui neque quicquam novi offerant, missos nunc facimus.

Ὕστατον κατεδόμεθα τὸν Στράβωνα, qui de Locrensium ritu fusius egit libro XIII p. 600 sq.: „*λέγουσι δ' οἱ νῦν Ἰλιεῖς καὶ τοῦτο ὡς οὐδὲ τελέως συνέβαινεν ἠφανίσθαι τὴν πόλιν κατὰ ἅλωσιν ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν, οὐδ' ἐξηλείφθη οὐδέποτε. αἱ γοῦν Λοκρίδες παρθένοι μικρὸν ὕστερον ἀρξάμεναι ἐπέμποντο κατ' ἔτος.*" „At, observat Strabo, haec non sunt homerica. Nihil enim de violata Cassandrae pudicitia apud Homerum invenis neque hanc ob causam Minerva Aiaci naufragium struxisse videtur." Sequitur hoc: „*τὰς δὲ Λοκρίδας πεμφθῆναι Περσῶν ἤδη κρατούντων συνέβη*". Deinde: „*Ὅμηρος ῥητῶς τὸν ἀφανισμὸν τῆς πόλεως εἴρηκεν*" (Z 448 sq.). Denique: „*Ἑλλάνικος χαριζόμενος τοῖς Ἰλιεῦσιν, οἷος ἐκείνου μῦθος, συνηγορεῖ τῷ τὴν αὐτὴν εἶναι πόλιν τὴν νῦν τῇ τότε*".

Ilienses igitur aeque ac Hellanicus perhibuisse videntur, Graecos statim post urbem deletam locum occupasse. Demetrius vero Scepsius et Hestiaea oriunda ex oppido Alexandria Troade iis obloquuntur affirmantes Graecos non ante aetatem Lydiam in loco urbis devastatae consedisse. Strabo cum Demetrio facit; supra autem, cum de Lycophronis scholiis agebamus, vidimus Timaeum quoque, quod ad initium sacrificii Locrensis attinet, facere cum Iliensibus.

Brückner (Troja und Ilion II Abschnitt IX) monuit Lycophronis verba necnon scholiastae illa comparata cum Iliupersidis fragmentis miram ostendere congruentiam. Verba enim scholii ad vs. 1157 sunt haec: „*Τρῶες λίθους ἔχοντες καὶ ξίφη ἐπεξήεσαν αὐταῖς· διὰ τοῦτο οὖν ἔσπευδον λάθρα καὶ νύκτωρ εἰσέρχεσθαι, εἰσιοῦσαι δὲ ἐκαθέζοντο ἱκέτιδες ἐπὶ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀθηνᾶς*".

In Iliupersidis excerpto legitur: „*Κασσάνδραν δὲ Αἴας ὁ Ἰλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον· ἐφ' ᾧ παροξυνθέντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βουλεύονται τὸν Αἴαντα, ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει*". (cf. Paus. X, 26, 3).

Utroque loco sermo fit de victima lapidibus petita, sed quae Minervae ad aram confugit auxilium eius implorans.

Dubitari nequit, quin inter mortem, qua Ilienses virginibus minitarentur, atque illam quae Aiaci destinaretur, quin inter modum, quo virgines salutem quaererent, atque Aiacis ne lapidibus obrueretur fugam ad aram Minervae, ratio quaedam intercedat. Aut ritus e narratione epica aut haec e ritu dependet. Ullusne est, qui ambigat utram in partem inclinet? Ut saepius sic hic quoque ritus fuit fundamentum, quo poeta in carmine suo pangendo usus est. Fabula autem de scelere ab Aiace in Cassandram commisso cum iam in Cypseli cista insculpta inveniatur, non multum aberrabimus statuentes hanc narrationem iam ante 700 a. C. n. sermone populari fuisse divulgatam. Unde sequitur ritum vel antiquiori aetati esse tribuendum. Quae concludere licet scholiis ad Lycophronem, epitoma Vaticana, non refutantibus.

Quaeritur tamen ut in re perdubia, an aliunde quoque nova documenta erui possint ad hanc coniecturam stabiliendam. Revera Brückner e ruderibus fontis cuiusdam prope aram Minervae Iliadis positi effici posse sibi est visus hunc fontem, e quo virgines Locrenses aquam hausisse dicebantur, iam perantiquis temporibus ibi affuisse. Qua de re lectorem ad Brückneri disquisitionem referre satis habebo (Troja und Ilion II Abschn. IX).

Accedit quod documenta quoque literaria historiam spectantia imaginem praebeant Minervae cultus ita solemnis, ut suspicio crescat hic agi de instituto antiquissimo, cuius origo in priscis temporibus quaerenda sit.

Xerxes enim cum Troiam venisset *ἐς τὸ Πριάμου πέργαμον ἀνέβη ἵμερον ἔχων θεήσασθαι· θεησάμενος δὲ τῇ Ἀθηναίῃ τῇ Ἰλιάδι ἔθυσε βοῦς χιλίας, χοὰς δὲ οἱ Μάγοι τοῖσι ἥρωσι ἐχέαντο* (Herod. VII 43).

Mindarus quoque Lacedaemoniorum nauarchus sacrificavit *ἐν Ἰλίῳ τῇ Ἀθηνᾷ* (Xen. Hell. I, 4).

Splendide Alexander Magnus *ἀνελθὼν ἐς Ἴλιον τῇ τε Ἀθηνᾷ ἔθυσε τῇ Ἰλιάδι καὶ τὴν πανοπλίαν τὴν αὑτοῦ ἀνέθηκεν ἐς τὸν νεών,*

καὶ καθεῖλεν ἀντὶ ταύτης τῶν ἱερῶν τινὰ ὅπλων ἔτι ἐκ τοῦ Τρωϊκοῦ ἔργου σωζόμενα (Arrian. Anab. I, 11, 5).

Idem refert Plutarchus (Alex. 15): „ἀναβὰς δ' εἰς Ἴλιον ἔθυσε τῇ Ἀθηνᾷ καὶ τοῖς ἥρωσιν ἔσπεισεν".

Mortuo Alexandro Lysimachus curam suscepit Troiae templumque Minervae condidit marmoreum; Augustus autem templum a Fimbria devastatum pulchrius restituit.

Denique scholio ad Δ 46 docemur Ilium ἱερόν vocatum fuisse etiam postea ob sacrificia per omnia saecula ibi numini oblata: „Ἴλιος δὲ νῦν ἱερὰ οὐ μόνον προσηγορικῶς τῷ κοινῷ λόγῳ τῶν πόλεων (sic!), ἀλλὰ καὶ διὰ τὰ ἐνταῦθα ἱστορηθέντα ἐνδελεχῆ θύματα, ὧν δηλωτικὰ σὺν ἄλλοις καὶ τὰ Ἰλίεια, ἑορτὴ ἐγχώριος ἐπώνυμος τῇ Ἰλίῳ".

Scilicet missum facimus argumentum, quo scholiasta vocem ἱερόν explicare studet; sanam enim invertit rationem, cum Homerum hanc ob causam vocem adhibuisse perhibeat, quoniam post Homerum ibi sacrificaretur. Sed iuxta alios auctores laudatos scholiasta confirmat Troianae deae sanctitatem venerationemque eius templi per omnia saecula observatam. Certe hisce locis litterariis non impedimur, quin, quod supra declaravimus, repetamus virgines locrenses iam ante annum 700 in Troadem esse missas. Nam Locris quoque Epizephyriis virginum sacrificii memoria servabatur. Nonne homines ibi loquebantur de „centum familiis", e quibus virgines eligebantur? Nonne mulieres virique hisce e centum domibus ex Opuntia in Italiam transierant? Condita autem urbs est Magna in Graecia circiter 700 a. C. n. Ritus igitur *in patria* octavo iam saeculo observabatur, quod et argumentum ex Iliuperside atque illud e cista Cypseli petitum docebant. Millennium de quo loquitur Timaeus haud dubie plenior est numerus, ritus autem saeculi forte octavi initio antiquior est.

At obicis viros de bonis literis optime meritos Eduardum Meyer et Ericum Bethe praefracte negasse Graecos ante initium saeculi octavi in Troade sedes occupasse.

Scio, at protulimus argumentum quo haec sententia debilitari possit. Accedit quod felicissime, si quid videmus, hanc opinionem iam impulerit Brückner (l. l. p. 569); et quod plus est

quodque maximi est faciendum, Dörpfeld ipse vir harum rerum peritissimus, ubi in libro suo saepius laudato egit de ruderibus repertis in Troiae sede septima — vulgo nominata atque indicata VII[2] —, quam sedem habitarunt homines saeculi decimi vel noni, ubi demonstravit hac in sede reperta esse domuum rudimenta ad quas construendas barbari e Thracia invadentes minime fuissent idonei, finem facit hisce verbis: „Allerdings möchte ich am liebsten als Erbauer der Häuser eine *griechische* Bevölkerung annehmen. Auch die Topfwaare, die bei den Bewohneren dieser Häuser zuerst auftritt, würde dan den ältesten *griechischen* Ansiedlern angehören" (p. 200).

Saepius apud veteres auctores audimus de expeditionibus priscis temporibus in Troadem factis, quarum duces fuisse dicuntur viri ex Agamemnonis genere orti vel alii clarissima gerentes nomina. Sic apud Strabonem (XIII, p. 582) legimus:

„*τέτρασι γὰρ δὴ γενεαῖς πρεσβυτέραν φασὶ τὴν Αἰολικὴν ἀποικίαν τῆς Ἰωνικῆς· διατριβὰς δὲ λαβεῖν καὶ χρόνους μακροτέρους. Ὀρέστην μὲν γὰρ ἄρξαι τοῦ στόλου· τούτου δ' ἐν Ἀρκαδίᾳ τελευτήσαντος τὸν βίον διαδέξασθαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ Πένθιλον καὶ προελθεῖν μέχρι Θρᾴκης ἑξήκοντα ἔτεσι τῶν Τρωϊκῶν ὕστερον ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον. εἶτ' Ἀρχέλαον υἱὸν ἐκείνου περαιῶσαι τὸν Αἰολικὸν στόλον εἰς τὴν νῦν Κυζικηνὴν τὴν περὶ τὸ Δασκύλιον. Γρᾶν δὲ τὸν υἱὸν τούτου τὸν νεώτατον προελθόντα μέχρι τοῦ Γρανίκου ποταμοῦ καὶ παρεσκευασμένον ἄμεινον περαιῶσαι τὸ πλέον τῆς στρατιᾶς εἰς Λέσβον καὶ κατασχεῖν αὐτήν. Κλεύην δὲ τὸν Δώρου καὶ Μαλαὸν καὶ αὐτοὺς ἀπογόνους ὄντας Ἀγαμέμνονος συναγαγεῖν μὲν τὴν στρατιὰν κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον καθ' ὃν καὶ Πένθιλος. ἀλλὰ τὸν μὲν τοῦ Πενθίλου στόλον φθῆναι περαιωθέντα ἐκ τῆς Θρᾴκης εἰς τὴν Ἀσίαν· τούτους δὲ περὶ τὴν Λοκρίδα καὶ τὸ Φρίκιον ὄρος διατρίψαι πολὺν χρόνον· ὕστερον δὲ διαβάντας κτίσαι τὴν Κύμην τὴν Φρικωνίδα κληθεῖσαν ἀπὸ τοῦ Λοκρικοῦ ὄρους*".

Orestes igitur primus fuit qui coloniam deduxit; filius eius Penthilus annis sexaginta post Troiam captam colonos ad Thraciam duxit: huius filius Archelaus progressus est usque ad

Dascylium in Mygdonia; Gras denique ex Archelao natus transmisit Granicum, iter fecit per Troadem, petivit Lesbum.

Gras eponymus urbis Graiae ad Oropum, qui primus Graecos in Troadem introduxit, centum viginti annis post Troiam ab Agamemnone expugnatam vixisse dicitur. Narrat Pausanias (III, 2, 1) iam Penthilum Lesbum venisse, Pindarus vero, ubi Tenedum laudat, addit:

Ἀμύκλαθεν γὰρ ἔβα σὺν Ὀρέστᾳ
Αἰολέων στρατιὰν χαλκεντέων δεῦρ᾽ ἀνάγων

(Nem. XI, 44 cf. Tzetz. ad Lycophr. vs. 1374).

Eodem tempore quo Penthilus Aulide profectus altum petivit, Cleus Dori filius et Malaus oriundus ab Agamemnone aliam coloniam in Asiam deduxerunt; diu autem in Locride atque ad montem Phricium morati serius mare tramiserunt. Condiderunt Cumas, ubi postea reges vivebant Agamemnones appellati (Polluc. IX, 83), uti Lesbi regnabant olim Penthelidae.

Hae expeditiones a nonnullis pro rebus fictis habentur excogitatae in commodum Penthelidarum Lesbum habitantium vel nobilium Cumas incolentium, qui ad Orestem vel ad Agamemnonem stemmata sua reducere vellent. Tutius vero statuemus a generibus Aeolicis, quae postea Lesbi, Cumis, regnabant, epica nomina hisce cum expeditionibus fuisse coniuncta, ut patres suos multis iam saeculis ante, statim post bellum troianum, in Asiam venisse gloriari possent; expeditiones vero ipsas non esse effictas, etsi de temporibus quibus deducerentur disputari liceat. Coloniam, quam deducebant Cleus et Malaus, apud Phricium montem moratam esse hanc fortasse ob causam perhibebant posteri, quoniam *Κύμη ἡ Φρικωνὶς καλεομένη* apparet inter Aeolicas urbes, quas nominat Herodotus I, 149. Nomina autem *Φρίκιον ὄρος* et *Φρικωνίς* haud dubie cohaerent. Quid igitur vetat Cumarum conditores revera e Locride venisse?

Aliam etiam observationem continet Strabonis narratio, cui sigillum veri impressum esse putamus. Loquitur enim auctor de variis expeditionibus, quae sibi succedentes tandem aliquando ipsam in Aeolidem pervenerint. Id procul dubio verum est.

Non semel vel bis vel ter Graeci e patria emigrarunt, neque per unum modo saeculum talia sunt conati. Immo saepius per duo vel tria saecula veteres Graeciae incolae a novis hominibus e sedibus suis detrusi trans mare novam quaesiverunt patriam, donec duodecim antiquas illas urbes Aeolicas volventibus temporibus condidissent. „Eduard Meyer wies nach dass die äolischen Koloniën in der Troas nicht wohl älter sein können als das VII oder VIII Jahrhundert; gehören sie doch nicht zu den alten äolischen Zwölfstädten", ita Ericus Bethe (Homer und die Heldensage p. 6). Sint igitur conditae saeculo octavo, at post varias expeditiones, quae variis temporibus habitae anteierant, quarum una vel altera fortasse navibus in Asiam transmisit, cum ceterae usitatiore via per Thraciam orientem petiverint. Neque dubitandum est de itinere quod elegerint; servavit enim Strabo viae notitiam: transmisso Bosporo, Dascylium et Cyzicum praeterierunt, Granicum flumen transierunt, sic venerunt in Troadem inde Lesbum atque in oram huic insulae oppositam. Graecos igitur colonos, puta Locrenses, iam ante septimum vel octavum saeculum in Troadem pervenisse, Troiae in colle consedisse, vestigia sua ibi reliquisse, quid vetat? Narrat Strabo expeditiones statim post bellum troianum incepisse. Quidni inde effici liceat, populorum graecorum emigrationes in Asiam iam tunc temporis incepissĕ, cum *Βοιωτοὶ ἐξ Ἄρνης ἀναστάντες ὑπὸ Θεσσαλῶν τὴν νῦν Βοιωτίαν ᾤκησαν*?

Locrensium ritum de virginibus Troiam mittendis iam ante annum 700^m^ viguisse negari non potest; unde sequitur iam prius Graecos Minervam colentes in Troiae colle consedisse. Quod factum a Dörpfeldio verisimile habitum minime perturbatur historia Graecorum colonorum in Asiam emigrantium.

Ritum igitur de quo agimus — quid enim inter tot seria *μυθολογεῖν* vetat? — sic nobis proponimus: colebatur aliquando inter Locridis incolas priscos dea omnium rerum fertilitati prospiciens, cui agri mulieres pecus in tutela erant. Iuxta eam exstabat daemon masculini generis ipsa e terra natus, gigantis naturam atque indolem referens, ferox et audax. Hic

qua erat libidine deam saepius tentasse dicebatur, licet utpote terrigena ipsius deae filius haberetur. Conferri possunt, quae Herodotus (IX, 63) tradidit de numine aegyptio deque eius matre: „ἐν ἱρῷ τεῳ οἰκέειν τοῦ Ἄρεος τὴν μητέρα καὶ τὸν Ἄρεα ἀπότροφον γενόμενον ἐλθεῖν ἐξανδρωμένον ἐθέλοντα τῇ μητρὶ συμμῖξαι καὶ τοὺς προπόλους τῆς μητρὸς, οἷα οὐκ ὀπωπότας αὐτὸν πρότερον οὐ περιορᾶν παρίεναι ἀλλὰ ἀπερύκειν, τὸν δὲ ἐξ ἄλλης πόλιος ἀγαγόμενον ἀνθρώπους τούς τε προπόλους τρηχέως περισπεῖν καὶ ἐσελθεῖν παρὰ τὴν μητέρα".

Deae autem ob causam infra accuratius atque fusius a nobis tractandam virgines certis e generibus ortae offerebantur. Conferri possunt Agrionia Orchomeni acta, ubi Minyeides Bacchi sacerdotem ne ab eo interficerentur effugere solebant. Fabula quidem erat Minyae filias Bacchum despicatui habuisse, deum igitur victima placandum esse, sed e Plutarchi verbis (Anton. 24): „Διόνυσος τοῖς πολλοῖς ἦν ὠμηστὴς καὶ ἀγριώνος", satis apparet, agi de numine quodam fecunditatis cui virgines piaculo offerebantur.

Victimis acceptis ceteris omnibus benignam se praestabat dea, sacrificio autem omisso vel intermisso civitas in periculo versabatur

φθίνουσα μὲν κάλυξιν ἐγκάρποις χθονός
φθίνουσα δ' ἀγέλαις βουνόμοις τόκοισί τε
ἀγόνοις γυναικῶν.

At sicut in Agrioniis postea nova quaesita est ratio, qua Minyeidum sacrificium explicari posset, sic inter Locridis quoque incolas posterioris aetatis orta est fabula, cuius partes agebant tam ille terrigena quam dea ἐπιχωρία: idcirco enim virgines offerendae dicebantur, quoniam terrigena, vel heros in quem mutatus erat (cf. quae supra observavimus de Aloeadis heroibus factis), in deam, vel potius in eius vicariam terrestrem, sacerdotem, conamina sua libidinosa temptasse ferebatur. Nam, cum aliquando rem nefariam in ipso deae τεμένει perpetrare conatus aram, quo virgo confugisset, contemnere non dubitasset, tum dea terribili pestilentia agros infestarat auditaque erat vox placari eam non posse, nisi virgines Locrides piaculum luerent.

Quae autem a civibus destrictis ensibus — ut in Agrioniis — petitae dolis vel celeri cursu manus letiferas effugientes deae

aedem intrarant genibusque submissae vitam deprecabantur, ea lege vitam servabant, ut per reliquam vitam ancillarum munere se functuras esse pollicerentur. Sin aedem egrediebantur necabantur. Pro defuncta virgine novam dea exigebat, mortua vero utpote numinibus χθονίοις sacra lignis feralibus comburenda erat. Binis puellis dea contenta esse credebatur.

Si propius inspicimus morem modumque, quo virgines vita defunctae e medio tollebantur, apparet duos ritus fuisse coniunctos. Comburebantur enim et cineres in mare proiciebantur. Mos autem comburendi obtinebat in iis sacrificiis, quae τοῖς καταχθονίοις flebant; vocabatur ὁλοκαυτοῦν (schol. Oed. Col. 42). In mare vero proiciebantur victimae τοῖς καθαρσίοις destinatae. Sic initio in insula Leucade quotannis Apollini περίψημα humanum a rupibus deici solebat; postea vero navicula victimam in mari excipiebat salvumque trans fines comitabatur (Strab. X p. 452). Uterque mos in virginibus Locrensibus e medio tollendis observabatur, ita ut clare appareat tam deis χθονίοις quam καθαρσίοις eas fuisse destinatas. Tertius etiam mos in ritu latet. Cadavera enim illarum virginum igni mandabantur, quae a civibus extra templum interceptae lapidibus obrutae erant. Accedebat igitur ἡ σφαγή vel ἡ κατάλευσις, τὸ ἀποσφάττειν ἢ καταλεύειν.

Hunc ritum Locrenses in Asiam emigrantes secum duxerunt. Ibi quoque mos virginum sacrificandarum semel patriae ob salutem institutus erat servandus, praesertim cum templum Ἀθηνᾷ Ἰλιείᾳ — i. e. deae Locrensi — tam celebri loco positum omnium in se converteret oculos, talisque celebritas consuetudinem inveteratam in desuetudinem abire non sineret. Sed cum Aiax iam in Asiam transmigrasset, deaeque sacerdos ab Aiace petita pro Priami filia haberetur pulcherrima, domus e quibus virgines victimae eligerentur in Locride remanserant; ex ipsa igitur colonorum patria victimae in Asiam erant mittendae.

Nam ut Tityus terrigena mala actus libidine Latonam arripuit; ut Pallas primum gigas ([Apollod]. I, 6, 2) deinde rex mythicus apud Lycabettum iuxta Minervam Pallenida honoratus hanc suam ipsius filiam est adortus, sic Aiax gigas locrensis

cupivit Minervam Locrensium deam genetricem. Heros autem, ubi Aiax factus est, deam laedere non potuit, rapuit vero simul cum palladio quod virgo amplectebatur Cassandram. Homerus quidem hunc raptum ignoravit, sed Priami *θυγατρῶν Ϝεἶδος ἀρίστη*, quam procus utpote *Ϝικέλην χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ ἀνέϜεδνον* ducere voluit, tali sorti erat destinata. Nam quis eam non cupivit? Othryoneus, Coroebus, Agamemnon, ipse Apollo, Aiax? Troianam fere Helenam eam nominaveris.

At si ritus e Locride transmigravit in Asiam, e Locride ipsa si est oriundus, iure quaeritur, num forte vestigia ibi servata sint quamvis exigua, quibus repertis sententia nostra haud infirmum habitura sit fundamentum. Res certe digna est quae perpendatur, quamvis pro paucitate rerum Locrensium nobis servatarum vel levissimum indicium maximi sit aestimandum.

XIX. De Dauniarum quodam more solemni.

In Libro duodecimo Athenaeus nobis narrat Lydos subactorum incolarum mulieres *ὕβρει* eximia tractare solitos fuisse, donec una harum mulierum regina facta vindicaret offensum. Lydorum enim filias servis tradidit.

Intelligis *αἰτίαν* hic nobis proponi moris cuiusdam Lydii ab Herodoto descripti hisce verbis: „*τοῦ Λυδῶν δήμου αἱ θυγατέρες πορνεύονται πᾶσαι συλλέγουσαι σφίσι φερνάς*" (*Α* 93).

Pergit Athenaeus p. 516: „*οὐ μόνον δὲ Λυδῶν γυναῖκες ἄφετοι οὖσαι τοῖς ἐντυχοῦσι ἀλλὰ καὶ Λοκρῶν τῶν Ἐπιζεφυρίων καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἑταιρισμῷ τὰς ἑαυτῶν κόρας ἀφοσιούντων παλαιᾶς τινος ὕβρεως ἔοικεν εἶναι πρὸς ἀλήθειαν ὑπόμνημα καὶ τιμωρία*".

Solebant igitur Athenaeo auctore Locrenses Epizephyrii *τὰς κόρας ἀφοσιοῦν ἑταιρισμῷ*, atque id ob scelus aliquod olim commissum. Sed ubi loquitur Athenaeus de Epizephyriis non pos-

sumus, quin simul cogitemus de huius urbis *μητροπόλει* i. e. de Locride ipsa; *ἡ παλαιὰ* autem *ὕβρις* nulla alia fuisse videtur quam *ἡ τοῦ Αἴαντος*. Ecce ipsa in Locride sacrificii vestigia, dummodo verba *ἀφοσιοῦν τὰς κόρας* bene intellegamus.

Virgines Babyloniae, ita refert Herodotus, „*ἅπαξ ἐν τῇ ζόῃ ἐμίγησαν ἀνδρὶ ξείνῳ*". Pergit: „*ἐπεὰν δὲ μιχθῇ ἀποσιωσαμένη τῇ θεῷ ἀπαλλάσσεται ἐς τὰ οἰκία*". Domum revertitur puella, postquam deae genitrici virginitatem suam sacrificavit.

Itemne virgines Locrenses lege severa coactae erant deae fertilitatis supra a nobis memoratae se metipsas tradere? Fierine potest ut hac e consuetudine explicandus sit mos supra memoratus, quo, ut coniciebamus, virgines aliquot numini piaculo offerrentur? Vel, si talis explicatio nimis videtur temeraria difficultatibusque invictis obnoxia, ratione fortasse aliqua inter consuetudinem Epizephyriorum et morem Iliensium exstat? Res certe in solo Troiano peracta philologis non videbitur indigna, cuius originem altius scrutemur.

At hic haeremus dubitabundi. Quid enim? Virgines *omnes* Locris Epizephyriis necnon fortasse ipsa in Locride numini fecunditatis florem suum debebant, cum *paucae* in Troade ad deam placandam satis essent.? Diversine igitur fuerunt mores Locrensium in Italia et in Troade degentium, licet uterque ritus ad unam eandemque referretur *αἰτίαν*?

An forte mos, qui in Troade paucarum exigebat sacrificium, ita mutatus est e Locride in Italiam transmissus, ut tam numerus puellarum quam sacrificii genus discreparent? Aliud enim est virginitatem solvere, aliud semetipsam toto corpore numini tradere. Est; sed non ita differunt hi mores, ut nullo modo inter se componi possint; quaerendum est vinculum quo coniungantur inter sese.

Auxilium fert episodium de Cassandrae quodam in Daunia cultu tractatum in Alexandra ab Lycophrone (vss. 1128—1141). Observa hoc episodium talem locum in Lycophronis carmine obtinere, ut nullo alio interposito statim illud, quod agat de virginibus Locrensibus in Troadem missis, praecedat.

Vaticinatur Cassandra:

ναὸν δέ μοι τεύξουσι Δαυνίων ἄκροι
Σάλπης παρ' ὄχθαις, οἵ τε Δάρδανον πόλιν
ναιόυσι, λίμνης ἀγχιτέρμονες ποτῶν.
κοῦραι δὲ παρθένειον ἐκφυγεῖν ζυγὸν
ὅταν θέλωσι νυμφίους ἀρνούμεναι
τοὺς Ἑκτορείοις ἠγλαϊσμένους κόμαις,
μορφῆς ἔχοντας σίφλον ἢ μῶμαρ γένους,
ἐμὸν περιπτύξουσιν ὠλέναις βρέτας
ἄλκαρ μέγιστον κτώμεναι νυμφευμάτων,
Ἐρινύων ἐσθῆτα καὶ ῥέθους βαφὰς
πεπαμέναι θρόνοισι φαρμακτηρίοις.
κείναις ἐγὼ δηναιὸν ἄφθιτος θεὰ
ῥαβδηφόροις γυναιξὶν αὐδηθήσομαι.

Sensus videtur esse hic: „Dauniorum principes Salpes ad ripas urbem Dardanum prope a lacu habitantes aedem mihi aedificabunt. Sed virgines matrimonii iugum effugere cupientes aversatae procos, qui Hectoris more cincinnati at statura et genere Hectori impares sint, *statuam meam amplectabuntur; sic maximum contra matrimonium sibi parantes auxilium*. Furiarum gestabunt vestem, membra tingent medicamine. Ab hisce vero mulieribus virgam gestantibus diu dea vocabor sempiterna".

Apparet Diomedis in campo apud Salapiam urbem Apuliae fuisse templum Cassandrae sacrum. Diomedes enim cum mulieribus troianis, quae sibi sociisque suis post Troiam captam sorte addictae erant, huc appulerat, Dauno regi opitulatus atque in partem imperii exceptus urbes condiderat. Iuvenes Daunii Hectoris dehinc in honorem, etsi statura et genere heroi troiano essent impares, longos demittere solebant capillos (*X* 401). Virgines autem, quotquot matrimonium respuebant, Cassandrae in templum fugientes Furiarum vestitu amictae corpora medicamine tinctae virgam manu tenentes deae supplices fieri atque manere solebant.

Mittimus controversias, quae his de versibus inter editores

sunt ortae. Furiarum vestitus indicat puellas illas fuisse φαιοχίτωνας, μελανείμονας; θρόνα φαρμακτήρια medicamina sunt ex herbis floribusque confecta (cf. Nonn. Dionys. 87, 415 vel Theocr. II, 59: νῦν δὲ λαβοῖσα τὺ τὰ θρόνα ταῦθ' ὑπόμαξον etc.), quibus faciem tingebant (cf. schol. ad vs. 1188 — auctor est Timaeus — ὑπαληλιμμέναι τὸ πρόσωπον πυρρῷ τινι χρώματι); quod ad ἐσθῆτα πεπαμέναι attinet, conferatur Aristoph. Av. vs. 943 in comm. Leeuweniana. Eodem verbo utitur Lycophron vss. 354 et 457. Legimus quidem in Mirab. Ausc. 109 Daunios omnes tam viros quam mulieres atris vestibus fuisse indutos, sed Lycophronis textus docet eum saltem cogitasse de Cassandrae supplicibus.

Talia autem nunc mittimus. Constat virgines, quae a Cassandra contra matrimonium peterent auxilium, atris vestibus fuisse indutas. Pro reliqua vita in aede numinis ἱερόδουλοι factae manebant ἄδμητες. Sed quodnam matrimonium effugiebant? Verba Lycophronis sunt: τὸ παρθένειον ζυγόν! Mira dictio: virginale iugum pro matrimonio. At dictio est quam apud nostrum auctorem non mireris! Fieri potest. Neque tamen reticebimus aliam explicationem. Quid, si apud Daunios quoque ut apud Epizephyrios obtinuerit mos τοῦ τὰς κόρας ἀφοσιοῦν ἑταιρισμῷ? quid, si Dauniae quoque debuerint ἅπαξ ἐν τῇ ξόῃ μιχθῆναι viro alieno? Nonne tale officium potius quam matrimonium nominaveris „iugum *virginale*? Nonne virgines, quae talem rem effugere conatae Cassandrae ad aedem confugerent, ipsi Cassandrae Minervae ad aram fugienti simillimas dixeris? Morem solemnem infringebant, at, ne dea patriae vitio id verteret, semetipsas numini dedebant, tota vita, severa castitate, poenas solventes. Sed quod initio virginibus cunctis fuerat refugium volventibus annis nonnullarum fiebat ἀφοσίωμα nova ratione explicatum; aliquot virgines ancillarum officium in se recipientes sacrificium avertebant ceterarum omnium.

Sic inter ritum Troianum et morem Locrorum Epizephyriorum terminus medius fit consuetudo Dauniorum. Dea fecunditatis virginum omnium exigit ζώνην inter Epizephyrios; in

Troade paucae solvunt pretium pro omnibus vel vita vel sacra servitudine, in Daunia mortis metus abest, sed plures servitium *τῶν ἱεροδούλων* subeunt.

XX. De Oileo.

In fine disputationis revertamur ad nomen Oilei, Orci filii Aiacis patris.

Vidimus hoc nomen saepius inveniri sub forma Ilei, quam Zenodotus vel Homeri in carmina introducere volebat (Schol. *N* 694, 697, 712). Quid hoc de Oileo nobis innotuit?

Filius fuit Hodoedoci i. e. Orci (Eustath. ad *B* 581). Narrat Hesiodus (fr. 116 Rz.) Apollinem, Troiae cum aedificaret moenia, rem habuisse cum nympha quadam, quae *ἵλεως* eum acciperet. Idcirco Apollinis iussu filium ex ea natum nomen gessisse Ilei.

'Ιλέα, τόν ῥ' ἐφίλησε Ϝάναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων,
καί Ϝοι τοῦτ' ὀνόμην' ὄνομ' ἔμμεναι, οὕνεκα νύμφην
εὑρόμενος ἵλεων μείχθη ἐρατῇ φιλότητι
ἤματι τῷ, ὅτε τεῖχος ἐυδμήτοιο πόληος
ὑψηλὸν ποίησε Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων.

Narratio satis frigida, sed illa de Ulixis nominis origine apud Homerum vel illa de Ionis nomine apud Euripidem haud ieiunior. Amabat scilicet talia ingeninm graecum.

Iam Graeci nexum quendam inter Ilium et (O)ileum quaesivisse videntur. Nam licet fragmentum non iniuria puerile vocetur, intellegimus id voluisse poetam, e nympha ab Apolline amata genitum esse heroem, qui, cum sub ipsius Ilii moenibus esset natus, ex urbis nomine denominaretur. Antiqui *τὴν ἐτυμολογίαν* mythico vestitu ornare solebant. Mythum igitur mittamus rem teneamus ac rogemus: Verine est simile Apollinem, si, ut apparet, exstitit fabula qua (O)ileus filius eius audiret, habuisse cognomen *'Ιλέα* vel *'Οιλέα*? Scimus enim e deorum *ἐπικλήσεσι* — quae aliquando ipsae numinum fuerant denominationes — sae-

pius remansisse heroes; numina quae αἱ ἐπικλήσεις designabant abierant in oblivionem, vel aliud nomen horum numinum divinitatem exprimebat, ἡ ἐπίκλησις autem reviviscebat, non ut deus sed ut heros. Exemplo sint nomina Περικλύμενος, Εὐρύαλος, Κάρνος, Εὐρυνόμη, Εὐρυμέδουσα, Ἀγαμέμνων, Εὔφημος, quae sic nude posita heroes vel homines indicant, sed cum deorum nominibus coniuncta melius intelleguntur: Ἅιδης Περικλύμενος, Ἀπόλλων Εὐρύαλος, Ἀπόλλων Κάρνειος, Ἄρτεμις Εὐρυνόμη, Ἑρμῆς Εὐρυμέδων, Ζεὺς Ἀγαμέμνων, Ποσειδῶν Εὔφημος (vide Wentzel Epicleseis, qui haec et alia praebet).

Delphicus mensis erat qui vocabatur Ἰλαῖος. Cohaerere Ἴλιος, Ἰλεύς, Ἰλαῖος docent comparationes:

σκότος: σκότιος: σκοταῖος = Ἶλος: Ἴλιος: Ἰλαῖος (Usener Archiv f. Rel. Wiss. VII, 3, 4) et

Μενέσθιος: Μενεσθεύς = Ἴλιος: Ἰλεύς.

Observemus Apollinem per totam Iliadem verum Iliorum esse defensorem. Apollo fuit qui urbem moenibus munivit, Apollo qui in arce templum habebat, Apollo qui Hectorem in pugnam comitabatur.

Sin vero in (O)ilei vitam accuratius inquirimus, umbrae ad instar sub manibus nostris evanescit. Audimus matrem eius fuisse Laonomam, uxorem Eriopam, concubinam Rhenam vel Alcimacham, e qua genuit nothum filium Medontem. Cognomen ei erat πτολίπορθος (*B* 728), interfuit — sed apud auctores seriores — Argonautis (Orphic. Arg. 193; Val. Flacc. I 372). Nil amplius. Natus est, uxorem duxit, genuit. Ἠύτε καπνὸς ᾤχετο!

Gruppe in ditissimo libro „Griech. Mythologie und Relig. Gesch." pagg. 90, 309, 609, 613[12] iam coniecerat in Locridis parte septentrionali Apollinem invocatum esse nomine Ϝιλέως, quod vertit „Sühner". „Nach diesem Kultnamen heisst die berühmteste opuntische Kolonie das von Apollon erbaute Ϝίλιον und Apollons in Ϝίλιον gezeugter Sohn Ϝιλεύς (ionisch Ἰλεύς) oder Ὀιλεύς, der Vater des lokrischen Aias". Derivat igitur Gruppe Apollinis cognomen a radice verbi ἱλάσκομαι, ut factum est in Hesiodi fragmento 142[0] (Rz) supra laudato.

Nos quoque credimus Oilei nomen derivatum esse ab Apollinis epiclesi locrensi Ἴλευς vel Ϝιλεύς. Aiax locrensis — priscum illum volumus, qui tam maiorem quam minorem amplectebatur, nomine suo — terrigena audiebat. Patrem non curabant homines. Sed, cum orientem versus emigrans ad Saronicum sinum cum Telamone coniungebatur, non poterat, quin illi quoque Aiaci, qui in Locride remansisset, patris nomen quaereretur. Apollinis tunc cognomen ei pro patre fuit. Avi vero nomen Hodoedocus veram herois originem indicare pergebat. Excogitarunt deinde homines fabulam, qua explicarent ubi, unde, quando, heros Ileus vel Oileus natus esset. Res ipsa ferebat, ut cum celeberrima Locrensium colonia — quae et ipsa ab Apollinis epiclesi nomen ducebat — heroem coniungerent. Sero autem in carmine apparuit ille Oileus, ita sero ut heros magnarum rerum gestarum fieri non amplius potuerit. Fac enim Locrenses colonos decimo vel nono saeculo deum suum Ϝιλέα in Troadem secum duxisse, Troiae devastatae locum huic deo consacrasse. Narrarunt deinde hoc numen semper Troiam habitasse, ita ut in carminibus, quae Troiae oppugnationem canerent, Ilii et Apollinis nomina coniuncta proferrentur. Sed cum omnes Graeciae populos huius oppugnationis participes fuisse memorarent rhapsoedi, cum inter heroes locum primarium attribuerent Aiaci Telamonio a sinu Saronico oriundo verae herois patriae obliti, magnus ille Aiax ὁμώνυμον suum minorem ante Troiae moenia secum duxit. Horum enim nomina disiungi fama popularis non sinebat. Unde factum est, ut Aiax minor maiorem fere semper in pugna comitaretur — relictis civibus suis Locrensibus. Hi enim, qui ipsi arci *oppugnatae* praebuissent nomen, sero demum in *oppugnatorum* catalogum (noli cogitare de *B*) recipi poterant, ducebanturque a Medonte (cf. *N* 686 sqq.) arcubus, fundis armati. Qui vero Oileum in carmina introduxit, rationis, quae inter hoc nomen atque illud Ilii intercederet, prorsus oblitus esse debebat, alioquin hunc heroem non extra sed intra Ilii moenia ponere debuisset. Fortasse formarum quoque discrepantia (Ὀιλέως et Ἰλίου) hac in re aliquid valuit.

Quod si quis nobis obicit haec omnia ob Iliadis perantiquam *γένεσιν* vix vera esse posse, e nostra enim sententia deducendum esse Iliadis originem deberi poetis noni vel octavi saeculorum, respondemus nobis haud inepta videri quae protulit Herodotus: „*Ὅμηρον ἡλικίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μεν πρεσβύτερον γενέσθαι καὶ οὐ πλέοσι*" (II 53). Tam Ilias quam Odyssea iusto antiquior haberi solet.

Restat autem quaestio non neglegenda. Veremur enim ut — quod perhibet Gruppe — a verbo *ἱλάσκομαι* „placare" Apollinis cognomen deduci possit. Quid enim, ut hinc incipiamus, significat „Apollo qui placat"? Placatur deus, non placat. Perfecti vero activi exstant formae sensu „propitium esse". Hic saltem sensus in deum quadrat. „Apollo qui propitius est, qui opem fert, sub cuius tutela arx salva videtur." Dixeris nullum fere cognomen aptius esse posse numini, cui urbs aliqua mandata sit. Revera, dum fata sinebant, Apollo Troiae propitium se praestitit. Quid vero de urbis nomine statuamus? Significatne „illa cui deus opitulatur, quae servatur", an „illa quae sacra est deo qui *κατ' ἐξοχήν* opem fert, servat, salvat (cf. San Salvador!)?

Sed cavendum ne grammatica arte neglecta indulgeamus ingenio. Nam *Ϝίλιον* cum verbo *ἵλημι* cohaerere non potest nisi constet hoc verbum admisisse digamma. Concludamus ergo hoc opusculum disquisitione, quae artem spectat grammaticam.

Quid docet versus epicus?

Verbum *ἱλάσκομαι* constanter digamma respuit. Exstant autem versus epici in quibus verbum *ἵλημι*, non dico admittit, sed poscit *Ϝ*. Mittimus versus Hymn. XXIII, 4 et I, 17, qui a voce *ἵληθ'* incipiunt. Versu autem *φ* 365:

Ἀπόλλων | ἧμιν θ' ἱλήκῃσι καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι

codices complures *θ* omittunt. Revera vocabulo *τε* ibi opus non est neque post *ἧμιν* positum placet.

Hymn. Apollinis vs. 165 editur:

ἀλλ' ἄγεθ' ἱλήκοι μὲν Ἀπόλλων Ἀρτέμιδι ξύν

licet ἄγεθ' ἱλήκοι defendi nequeat. Praebent cod. S et Thucydidis codices meliores loco notissimo III, 104:

ἀλλ' ἄγε θ' ἱλήκοι

ubi θ' ne ferri quidem potest.

Nonne legendum ἧμιν Ϝιλήκῃσι et ἄγε Ϝιλήκοι?

Videamus π 184 et γ 380:

ἀλλ' ἵληθ', ἵνα τοι κεχαρισμένα δώομεν ἱρά.
ἀλλὰ Ϝάνασσ' ἵληθι, δίδωθι δέ μοι κλέος ἐσθλόν.

Dummodo iota corripiatur legi potest:

ἀλλὰ Ϝίληθ' et ἀλλὰ Ϝάνασσα Ϝίληθι.

Pro brevi numeratur iota verbi ἱλάσκομαι quattuor locis:

B 550: ἔνθα δέ μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖσ' ἱλάονται.
A 147: ὄφρ' ἧμιν ϜεκάϜεργον ἱλάσσεαι ἱερὰ ῥέξας.
A 100: ἐς Χρύσην· τότε κέν μιν ἱλασσάμενοι πεπίθοιμεν.

Hymn. XXI, 5: καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε, Ϝάναξ, ἵλαμαι δέ σ' ἀοιδῇ.

Quid igitur? Omnibus locis, quibus exstant in carmine epico formae verbi ἵλημι, digamma restitui potest — vel debet. Cunctis hisce locis invocatur Deus Apollo.

At ἱλάσκομαι digamma nusquam admittit. Fierine potest ut verbum ἵλημι, quoniam saepius cum Apolline τῷ Ϝιλέι coniunctum inveniretur, digammatis vestigia servarit, licet haec litera e verbo ἱλάσκομαι prorsus evanuisset?

Haec vero quaestio dirimenda est antequam Gruppii interpretatione „Ϝιλεύς Sühner" reiecta, accipi possit novum ἔτυμον a nobis dubitanter propositum: „Ἀπόλλων Ϝιλεύς significat: Apollo Propitius". Itaque, ut plerumque fit in quaestionibus homericis perpendendis, finem facimus rogando: ἐν γὰρ κλύδωνι κείμεθ', ὥσπερ οἶσθα σύ!

Epilogus.

Iliadis aenigmata Sphingis illis intricatiora ut solveret nostris diebus novis initis viis strenuam dedit operam Ericus Bethe, cuius disquisitiones sagaci doctrina substructae stiloque alacri defensae ad nobile certamen philologis semper adamatum convocarunt ingenia aliorum necnon effecerunt, ut me rogarem, an fortasse investigatione de singulis heroibus in Iliade partes maiores agentibus habita documentisque de eorum patria, cultu, origine, collectis melius perspici posset, quomodo variae gentes per carmina sua popularia ad heroem suum spectantia ad opus maioris ambitus pangendum contribuerint. Sic, ut et ipse pro viribus meis experientiam facerem, arripui Aiaces, de quibus nonnulla nondum satis in lucem protracta afferre posse mihi videbar.

Admonitos velim lectores meos, si quem alium me ipsum non latere quam sit aleae plenum huiuscemodi conamen; difficultates spinosas, mihi credite, persensi cum in vepribus versabar haerebamque in virgultis. Neque solum obstacula illa, quae res praebebat ipsa, erant superanda, sed etiam sententiae ante me a variis criticis in medium prolatae quaeque, ut ita dicam, rem circumvallabant, accurate erant intuendae et perpendendae. Quas autem omnes hic tractare vel laudare supersedi. Non quod suum cuique honorem, quantum quidem fieripoterat, tribuere non libenter studuerim sed cavendum erat, ne prae multitudine arborum silva lateret, cavendum quoque, ne ipsa re homines potiores ducere visus Euthydemi Platonici verbis ultimis parum esse obsecutus viderer. Ubicunque vero boni aliquid ab aliis mutuatus meum in usum converti auctorem laudavi; ubi forte, qui ante me mea dixerunt, non laudavi, nescius peccavi.

Materiem undique corrasam dispositam quidem sed non ornatam, ne fucatam dicam, iudicibus rem ipsam attendentibus proponere volui; ignota incertave omnia flosculis figurisque rhetoricis obtegere nolui. Saepius tramites inire debebam, ut in viam ipsam reverterer; iter autem per loca saltuosa, caliginosa,

praerupta ducens magnisque obstaculis impeditum viatoribus voluptatem quaerentibus sterni atque aequari nondum potuit.

Demonstrare conatus sum Aiaces, quales in carmine epico depinguntur, ab origine fuisse unum Aiacem, locrensem, non hominem, sed daemonem quendam gigantum a natura non absimilem. Coniecimus hunc daemonem, cum formam humanam induisset et notitia eius ad sinum Saronicum pervenisset, ibi factum esse Aiacem maiorem, sed apud Locrenses remansisse illum, qui, cum altero comparatus, minora ob facta minorem ob gloriam, utpote intra parvae regionis fines coercitam, ipse quoque minor haberetur.

Quae de daemonis cultu apud posteros supererant vestigia, indicia quoque nascentis eius dualismi, conquisivimus neque reticuimus opinionem nostram Teucrum quoque tertiam figuram ex Aiace primario esse ortum et ipsa quidem in Locride, ubi iuxtaponebantur heros arcitenens et heros hastifer. Haec autem sententia ut probaretur, de nomine Teucri per Europae Asiaeque regiones disperso disserendum erat. Deinde indagavimus Telamonis veram naturam atque patriam, impugnavimus sententiam eorum, qui e scuti balteo hunc heroem provenisse pro re haberent explorata, argumentis haud debilibus eo ducti sumus, ut statueremus hunc Telamonem, quasi alterum Atlantem, numen fuisse marinum circa Salaminem cultum.

Tum vero de nexu, quo fuerint coniuncti Aiax et Telamo, egimus, qua occasione ut de adiectivo Telamonio nonnihil observaremus necesse fuit. Denique de Oileo quoque, de virginum locrensium sacrificio noto, de variis Lycophronis Tzetzaeque locis, de Minervae inimicitiis, de pluribus aliis erat disputandum, ut crimen levitatis vitaremus causamque nostram fundamento quammaxime firmo fulciremus. Quae omnia quatenus non male nobis cesserint, iudicent critici, quibus adsunt tria illa, quae poscit Socrates: ἐπιστήμη, παρρησία, εὔνοια!

DE AMAZONIBUS.

DE AMAZONIBUS.

Der weibliche Schwarm der Artemis wiederholt sich in dem Amazonenheer.

USENER Gött. p. 42.

„Ἀλλ' ἄγετε, λευκόποδες, οἵπερ ἐπὶ Λειψύδριον ἤλθομεν, ὅτ' ἦμεν ἔτι, νῦν δεῖ, νῦν ἀνηβῆσαι! mulieres enim arcem obtinent, mox naves armatas conscendent, Athenas Artemisiae ad instar sunt aggressurae. Quid si equitatui quoque studebunt? Actum erit de equitibus nostris. An non putatis? At o boni, ἱππικώτατον γάρ ἐστι χρῆμα κἄποχον γυνή. Ridetis etiam? at inspicite mihi τὰς Ἀμαζόνας, ἃς Μίκων ἔγραψ' ἀφ' ἵππων μαχομένας τοῖς ἀνδράσιν".

Sic salse senum chorus in Lysistrata fabula, quae anno 411° scenae Atheniensi mandata est. Ante sexaginta fere annos Mico Poecilam Stoam Amazonomachia ornarat, quae imago ab illo tempore nulli non civi coloribus vividissimis ante oculos stabat.

Non quo ante Miconem Amazones Athenis ignotae fuerint. Immo, familias pater πρὸς πῦρ διέλκων μετ' ἀνδρῶν ἑταίρων φίλων cum sera crepuscula noctem traherent, factorum fortium maiorum memor semper fuerat, talium praesertim maiorum, quorum institutis, fundamento solido et aeterno, civitatem niti inter omnes constabat. Cuius autem regis prius in mentem ei veniebat quam Thesei? cuiusnam facinoris saepius quam atrocis proelii tot ante saecula sub ipsis Athenarum moenibus contra Amazones commissi? Nonne tumulos quoque apud Pnycem, pone Musaeum, pater filio monstrabat, ubi Amazones, quae Thesei manu ceciderant, erant sepultae? Quin etiam erant,

peregre qui cum ivissent, alibi quoque Amazonum sepulcra, in Boeotia, Thessalia, prope Megara, Troezena, Chalcidem conspexissent; viderant hi apud Taenarum templum Dianae dedicatum, quod hic Virginum erroribus finis esset factus; sacrificaverant ibi fortasse in aris Apollinis Amazonii.

Haud dubie homines antiqui, ipso ex solo Attico progeniti, glebae patriae coniunctissimi ac longinquis peregrinationibus minime assueti, mirabantur hostem ex Asiae penetralibus tot per terras, montes, flumina usque ad metam Peloponnesi penetrasse. Magis etiam mirabantur matres familiae, quibus vita inter parietes erat degenda, equos autem et arma et bella virorum in usum a deis immortalibus creata esse autumabant. Theseum ad Thermodontem pervenisse ibique Antiopam Amazonum reginam sustulisse, quid mirum habebat? Herculis enim exemplum secutus, iniuriarum simul auctor et ultor, per vias et invia erat vagatus. Sed feminas armatas equisque vectas etiam longius aliquando esse progressas quam ipsi Persarum regi contigisset, id humanam fidem superabat, et nisi Homerus testis fuisset Priamum Bellerophontemque acie pugnasse contra Amazonas, Asiam igitur eas habitasse, fortasse unus et alter iam tunc temporis de Amazonum origine orientali dubitasset et in Graecia potius, e. g. ad Boeotiae illum Thermodontem, earum sedem quaesivisset.

Venerunt dies quibus Herodotus historias suas variis locis coram populo recitavit. Ibi tunc auditores famam de Sauromatarum mulieribus equitantibus, venantibus, pugnantibus tam delectati quam admirati accipiebant avide: habitare has feminas in vicinia maris Caspii, nec multum discrepare ab Oeorpatum gente, quae a Themiscyra ad Thermodontem oriunda, forte autem fortuna in Europam transvecta, ad Tanain flumen novas sedes occupasset; *Οἰόρπατα* autem significare *ἀνδροκτόνους*. En, cogitarunt haud dubie Graeci, quibus omnes regiones ultra Tanain pro Asia erant, en, Homeri fides sera aetate probata: sunt igitur et fuerunt *verae* Amazones, feminae barbarae quidem sed mortales ut sumus ipsi. Mox Tomyris, Cyri maioris adver-

saria, in libris historicorum Amazonum regina fiebat; deinde Alexander Magnus iter in Indiam faciens cum Amazonibus non quidem certasse at tamen rem habuisse tradebatur. Agmina fabulosa ad Sangarii ripas circumvagantia et Phrygum campos vastantia, quae prisci vates celebraverant, certum sibi locum in chartis geographicis neque minus certum in operibus historicis inveneiant et tenebant.

Non ita multis annis post Herodoti aetatem exstiterunt scriptores, Ephorus alii, qui asseverabant *Σαυροματῶν ἔθνος εἶναι γυναικοκρατούμενον*, licet Historiae Pater talis rei nec volam nec vestigium apud auctores suos repperisse videretur, qui hoc solum narraverat apud Issedonas *ἰσοκρατέας ὁμοίως τὰς γυναῖκας τοῖς ἀνδράσι εἶναι*. Operae igitur pretium est indagare unde haec Ephori opinio oriri potuerit.

Graeci *antiquissimi* quid senserint de mulierum isocratia — ut mittamus nunc gynaecocratiam, — nemo Homero brevius expressit; Hector enim hisce verbis uxorem domum mittit:

ἀλλ' εἰς Ϝοῖκον ἰοῦσα τὲ αὐτῆς Ϝέργα κόμιζε,
ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
Ϝέργον ἐποίχεσθαι· πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.

Herodoti vero temporibus mulierum quae vocatur emancipatio — res procul dubio in Ionia nata — Athenis suos sibi defensores invenerat. Sophocles Antigonam *παρρησίᾳ* inaudita Creonti oblocutam in scenam produxerat, cum Ismena vetustioris exemplum modestiae e Thucydidis potius praeceptis (II 45) vitam instituisse videretur. Eodem modo Electra et Chrysothemis recentiorem et antiquiorem opinionem referebant. Mox Euripides cum in choricis, ubi saepius poeta suam ipsius sententiam aperit, tum in dialogis mulieres de statu suo disputantes introduxerat [1]), quod ipse censebat minime celarat. Componat mihi benevolus lector Euripidis Iphigeniam, quae exclamans: „*ἔα δὲ σῶσαί μ'*

[1]) Leo Blochius in libello „Alkestisstudien" fuse docteque hac de re disserens strenuum patronum „sequioris" sexus semet ipsum ostendit. Quamquam hic illic studio abreptus lenum risum movet; quivis autem intellegit quam difficile sit modum non excedere ubi amicae in honorem hoc de argumento opus conscribas.

Ἑλλάδα!" sua sponte ad aram procedit, cum Aeschyli illa, quam vaccae instar vinculis capistroque cohibitam servi ad aram sistunt. Videbit illic mulierem liberam, suo arbitrio, quantum sors sinat, res dirigentem sibique subicientem, hic infelicem non mulierem sed rem, qualem ne Homeri quidem aequales unquam cognoverant, cuius corpus artesque emebantur, quae patiebatur omnia, faciebat volebatve nihil: feminam Hesiodeam·

Hominum igitur mentes cum tali contentione identidem commoverentur, audita est fama mulierum libere viventium, proprio Marte pugnantium, virorum officia viriliter exsequentium. Ubi talia feminis licerent, ibi nihil non iis licere, immo muliebre genus *imperare*, clamabant quibus antiquus status unice probus et optabilis videretur; historiarum autem scriptores tam sermones aequalium quam veteres auctores pro fontibus habentes, nimium in historiis conscribendis rhetoricae arti indulgentes [1]), famam parvam primum mox sustulerunt in auras graviterque sunt locuti de Sauromatarum gynaecocratia. Nos autem, qui e Tacito et Plutarcho novimus Germanorum mulieres pro viris contra Romanos pugnantes, castra munientes, vigilias agentes, necnon didicimus has mulieres ut honoratas sic nunquam civitatum principes fuisse habitas, nos gynaecocratiam illam suo pretio aestimantes *εἰς Σκυθῶν ἐρημίαν* sive iocorum in regionem quantocius relegabimus. Fuerunt fortasse talia instituta apud Cares olim, Lemno in insula, Coi quoque, qua de re sententiam nostram caute differemus donec *σὺν θεοῖς* his quoque rebus lux clarior lucidiorque affulserit: nunc ad propositum redeamus.

Quae semel per aures demissa in intimis hominum cordibus locum obtinuerunt, sive vera sive falsa sunt, aegre postea genus hominum eripi sibi patitur melioribusve notionibus pelli. Stet gratia sua et honor Homeri verbis:

τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται, —

---

[1]) Polyb. XII, 27: „*ὁ γὰρ Ἔφορος δεινότατός ἐστιν ἐν ταῖς παρεκβάσεσι καὶ ταῖς ἀφ αὑτοῦ γνωμολογίαις.*"

maiore tamen auctoritate vigent florentque quaecunque seris nepotibus bene servata servandaque tradiderunt qui ante fuerunt. Sic quae opinio de Amazonum origine orientali mentes antiquas occupavit, mansit haesitque ad nostros usque dies, licet huic sententiae et Graecorum religio et quae scriptores veteres tradiderunt aperte refragentur, quantum quidem videam equidem.

Sed ne materia obruamur, operam dabo ut ex ordine dispositam lectoribus praebeam diiudicandam. Itaque quam brevissime potero varias variorum scriptorum sententias duobus capitibus complexus refutare, dein meam ipsius opinionem exponere conabor [1].

Muellerus sub Amazonum personis latere statuit hierodulas llas, quibus Pontica in regione mandatus erat Comanensis deae lunaris cultus. A cuius viri doctissimi partibus stant Prellerus, Gerhardus, Stackelbergus, nisi quod hi addiderunt Amazonum pugnas et errores significare labores, contentiones, difficultates denique, quae deae assectatoribus olim fuerint patiendae et perferendae ut eius cultum per Asiam extenderent.

Fors autem tulit ut de vita moribusque Comanensium hierodularum docuerit nos auctor, qui cum bonae frugis plena pro- erre soleat et fide dignus ab hodiernis habeatur, nunc eo pluris sit faciendus quod Dorylai cuiusdam Comanensis sacerdotis, testis igitur oculati, fuerit cognatus. Strabonem dico.

Erant eo teste duo templa eiusdem deae, unum Comanis Ponticis ad flumen Irin, alterum Comanis Aureis in Cappadocia, utrumque plane eisdem ritibus institutum, sed hoc prius factum fuerat metropolisque a Ponticis habebatur. Ponticum illud fanum Themiscyrae in planitie uberrima, quae duobus fluminibus Iride et Thermodonte aspersa largissime humanum in usum

---

[1]) Nemo, opinor, vitio mihi vertet, quod illa omnia quae Klügmann in Rosch. Lex. de Amazonibus docte composuit hic non repetuntur. Varios auctores tam antiquos quam recentes ibi laudatos non frustra adii; prae ceteris multa me docuit Klügmanni commentatio „Die Amaz. in der alt. Lit. u. Kunst.“ Neque neglexi locos a Gruppio citatos; opinionem meam cum Gruppii verbis (pag. 1292) conspirare gaudeo.

quaevis praebebat, erat situm, Strabonis autem aetate continebat sex milia *ἱεροδούλων utriusque sexus*. Praeerat sacerdos sanctissimus, qui bis quoque anno, cum deae simulacrum ingenti pompa e templo efferebatur, diadema gestabat *καὶ ἦν δεύτερος κατὰ τιμὴν μετὰ τὸν βασιλέα*. Cumque Comana essent *ἐμπορεῖον τοῖς ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας ἀξιόλογον*, festis illis diebus undique illuc confluebant mortales ut vota solverent voverentque, plures etiam ut temporis aliquid laete peragerent, numerum incolarum luxuriose viventium impense augentes. Ibi tunc ea omnia fiebant, quae cum orientalium cultibus ecstaticis — *θεοφόρητοι* enim nuncupantur deae in publicum prodeuntis stipatores — arcte coniuncta esse scimus omnes, sive antiquos sive hodiernos spectamus. Accedebat autem ut oppidum ingenti copia mulierum corpore quaestum facientium redundaret, essetque harum pars maior ex ipsis hierodulis conscripta [1]).

Quid hinc discimus? Primum, non solas mulieres sed viros iuxta feminas templi muneribus esse functos; deinde hierodulas illas, ut in regione uberrima, non secus ac viros a strenuo labore fuisse quam maxime alienas; denique templi ipsius legibus obstrictas eas minime a virorum commercio abstinuisse sed copiam sui corporis cuilibet fecisse, deae cui serviebant gratum id acceptumque ratas.

Conferamus nunc hisce cum mulieribus Amazones, quales ex Hippolyti fabula nulli non innotuerunt. Quae virilem contactum spernunt nec nisi victae vinctaeque amorem patiuntur; vitant vitam quae intra urbium moenia et parietes molliter et languide degitur; habent in deliciis vitam illam liberam atque laetam qua fruuntur aves in silvis, virentibus in campis hinnulei. Vagantur Amazones; sedem servant hierodulae; sunt illae castae, strenuae, fortes, hae autem molles, sine nervis, impurae. Quid igitur Amazo equo vecta, Dianae socia dignissima, commune habet cum hetaera orientali?

---

[1]) Strabo p. 557: „*πλῆθος γυναικῶν τῶν ἐργαζομένων ἀπὸ τοῦ σώματος, ὧν αἱ πλείους εἰσὶν ἱεραί.*"

At habuerit ante oculos Muellerus hierodulas Dianae Ephesiae, quas castissimas fuisse tradidit Plutarchus Romanis cum Vestalibus eas comparans [1]. Fac virum doctum — licet de Comanensibus aperte loquatur — cum apud Pausaniam [2] legisset Amazones errantes usque ad Ephesum pervenisse ibique coloniam reliquisse, Ephesias voluisse hierodulas. Tunc observo Amazonum mentionem fieri tam in mytho de Ephesi origine quam in originibus Smyrnae, Cumarum, Myrinae, Grynae, Pitanae, Mytilenarum, Amastris, Sinopae, aliorum oppidorum in ora maritima sitorum; cum mari quoque Myrtoo hoc nomen fuisse coniunctum [3]; denique hierodularum genus eiusmodi, quale Ephesi habitabat, ne ipsi quidem Graeciae ignotum fuisse.

Itaque cum tales mulieres, quae Graecis ab antiquissimis temporibus ante oculos versarentur, in Amazones abiisse minime sit verisimile, abiciamus sententiam egregii viri, quem Themiscyrae et Comanorum viciniam in errorem induxisse arbitror.

Venimus iam ad explicationem Welckeri ceterorumque virorum doctorum, qui post eum mulierum septentrionalium mores laudarunt, incursiones in Asiam attulerunt, pro mythi fundamento habuerunt.

Scimus Asiam Minorem olim a Scythis Cimmeriisque late populantibus tutam non fuisse, Phryges, Bithynos, Mysos, e Thracia esse oriundos. Audimus Strabonem asseverantem [4] sub tumulo quem

ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσι,
ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης,

sepultam fuisse Amazonem quae ipsis Troiae sub moenibus cecidisset; Priamum et Bellerophontem, alterum Sangarii in ripis, alterum in Lycia contra *Ἀμαζόνας ἀντιανείρας* belligerasse; securim ab Hercule Amazoni ereptam Iovi Labrandeo Lyciae numini esse traditam [5]. Amazonum denique nomen, quod hucus-

---

1) An seni... § 24. 2) VII, 2, 7. 3) Schol. Ap. Rhod. I 752.
4) XII, 573. 5) Plut. Quaest. graec. 45.

que frustra tentatum est, linguae graecae deberi cum negent v. d. aliunde repeti non vetamus. Attamen, licet aliquot vestigia in Asiam nos ducere videantur, licet Homeri temporibus mulieres armatae ex equis pugnantes, in Phrygia vixisse ferantur, infitiandum non est Amazones illas, quas ex Hippolyti fabula cognitas habemus, habendas esse in numero numinum cultorum a Graeciae Ioniaeque incolis priscis; turbas autem fabulosas quibuscum pugnarit Priamus vixisse in ipsis rhapsodorum mentibus.

Minime reconditis aut abstrusis argumentis inducimur, ut Amazones Graeciae ipsi vindicemus. Non quod variis locis Graeciae Pausanias et Plutarchus viderint tumulos ingentes, ubi Amazones sepultas iacere fama ferret, in Thessalia, Boeotia, Attica, Peloponneso. Theseum quidem hae feminae hostiles ferebantur esse secutae, sed vera lux perlucet in Plutarchi Vita Thesei, ubi inter multa fabulosa legimus verba haec: „*τὴν γινομένην πάλαι* θυσίαν *ταῖς Ἀμαζόσι πρὸ τῶν Θησείων*" (c. 27).

Erat igitur Athenis sacrum solemne ad Amazones hostiles placandas institutum. Nullus autem populus, cuius regionem turba praedonum aliquando infestam reddidit, sacrificium annuum hunc ob hostem per saecula procuravit. Cum contra Gallos ad Aliam foede esset pugnatum, Romani, homines religiosissimi, diem a. d. XV Kal. Sext. Aliensem appellarunt nullique rei sive publice sive privatim agendae idoneum censuerunt atrum illum diem. Sacrificio quoque, quod quotannis exin fieret, celebrarunt? Minime; *religiosus* vocabatur dies, quia tum, Gellio teste [1]), *res divinas facere temperandum erat.* Item Graeci, cum in numinis heroisve honorem sacra instituerent vel instaurarent, nulla alia causa quam quae e religione proveniebat movebantur.

E. c. Cimonis aequales, Thesei corpore Athenas translato, herois festum maiore quam antea apparatu agentes cum *τὰ Θήσεια* sacrificiis, certaminibus, ludis augerent, instituerunt ut Connidae Troezenio, quo Theseus paedagogo usus esse ferretur, quotannis

---

[1]) Gell. IV, 9, 5.

aries immolaretur. Fuerat autem Connidas ille Troezeniorum *θεὸς χθόνιος*, ut docent Plutarchus [1]) et Hesychius i. v. *Κονείδης* [2]).

Amazonum autem sacrificium cum Theseis coniunxerunt, ea lege ut Thesei res tam in Europa quam in Asia contra Amazones gestae illo sacro celebrarentur. Nempe *οἱ μυθοποιοί*, Thesei novós errores fingentes dudum de Thesei in Asiam expeditione fabulabantur, cum Graeci antiquissimi, ut videbimus infra, pugnam ipsa in Graecia cum Amazonibus commissam novissent solam. Quinimo ad Amazonomachiam apud Themiscyram habitam facinora herois ipsa in patria gesta iam sordebant!

Quae autem fuerunt Amazones illae Graecae, divinae originis mulieres, quarum cultum atque nomen tam tota Graecia quam per mare Aegaeum oramque Asiae maritimam nulli non innotuisse constat, siquidem in mythis tot urbium Ionicarum, Aeolicarum, Ponticarum partes primas agunt? Quarum imago antiquis hominibus tam vivida ante oculos obversabatur, ut turbam mulierum vagantium, procul in Thracia, Asia, libere viventium, simulac earum fama in Ionia percrebuisset, mero nomine Amazonum satis accurate indicari putarent poetae epici? Quae cum e caelo in terras descendissent, i. e. cum mythus factus esset historia, sedes domusque in Caspii maris regionibus acceperunt a posteris, quos nuntii praesertim de Sauromatarum mulieribus allati moverunt.

Iam Pindarus teste Pausania [3]) Ephesiae Dianae templum conditum fuisse cecinit ab Amazonibus; accuratius autem fabulam tractavit poeta doctissimus, rerum antiquarum quam maxime curiosus, Callimachus, qui in Hymno Dianae (vss. 237 sqq.) deam ita alloquitur:

σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες, πολέμου ἐπιθυμήτειραι
ἔν κοτε παρραλίῃ Ἐφέσου βρέτας ἱδρύσαντο

---

[1]) Plut. Thes. 4: „ᾧ κριὸν ἐναγίζουσι".

[2]) *γένος ἰθαγενῶν* i. e. *αὐτοχθόνων*. Cf. Toepffer Att. Gen. p. 172, 310.

[3]) VII, 2. 7.

φηγῷ ὑπὸ(?) πρέμνῳ· τέλεσεν δέ τοι ἱερὸν Ἱππώ·
αὐταὶ δ' „Οὖπι ἄνασσα" περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο,
πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ
στησάμεναι χορὸν εὐρύν· ὑπήεισαν δὲ λίγειαι
λεπταλέον σύριγγες, ἵνα πλήσσωσιν ὁμαρτῇ,
αἱ δὲ πόδεσσιν
οὖλα κατεκροτάλιζον, ἐπεψόφεον δὲ φαρέτραι.

En igitur virgines armatae, Amazonides, circum Dianae imaginem fagino sub trunco erectam ducentes chorum; deam autem invocant verbis „Οὖπι ἄνασσα".

Upis vel Opis illud nomen, a Cicerone quoque [1] memoratum, quadam tenus illustratur Athenaei observatione [2], carmina Dianae in honorem cantata nominata fuisse οὐπίγγους. Scholion autem ad Apoll. Rhod. I vs. 972 lucem affert clariorem: „οὔπιγγος παρὰ Τροιζηνίοις εἰς Ἄρτεμιν ὕμνος".

Troezene igitur Diana Οὖπις audiebat; ibi exercebat choros dea,
quam mille secutae
hinc atque hinc glomerantur oreades: illa pharetram
fert umero, gradiensque deas supereminet omnis.

Nec immemores sumus ipsam Troezena fabulae Hippolyti fuisse scenam, hac in urbe Amazonis illum filium vixisse mortemque obiisse, ibi praesertim sonuisse cantica quale fuit Euripideum:

πότνια πότνια σεμνοτάτα,
Ζανὸς γένεθλον,
χαῖρε χαῖρέ μοι, ὦ κόρα
καλλίστα πολὺ παρθένων.

Quid multa: Troezen urbs, si quae alia, Opis Dianae eiusque sociarum cultu erat insignis [3]. Dea illa tam terrae quam maris dominatrix potentissima et saevissima, naturae vim indomitam specie caelesti repraesentans, cuius adventum nocturnum in silvis significabant procellae stridentes, in mari fluctus commoti spumaque conspersi, licet nusquam non per Graeciam ab agri-

---

[1]) Nat. Deor. III 23. [2]) XIV p. 619.
[3]) Cf. Griech. Feste M. P. Nilsson p. 208.

colis nautisque honoraretur, a Troezeniis ante alios anxie culta esse videtur. Sed non minore honore ibi fruebatur caterva illa nympharum, quacum per montes et maria vagari solebat Latonae filia. Vix enim nata patrem adierat virgo obsecrans:

δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορήτιδας Ὠκεανίνας,
δὸς δέ μοι ἀμφιπόλους Ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας [1]).

Nec repulsam tulerat, immo:

ἔνθεν (ibat) ἐπ' Ὠκεανόν· πολέας δ' ἐπελέξατο νύμφας
πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.
χαῖρε δὲ Τηθύς,
οὕνεκα θυγατέρας Λητωΐδι πέμπεν ἀμορβούς [2]).

Nec immerito dea virgo nymphas oceano ortas diligebat, quae enim:

πρῶται θοὰ τόξα καὶ ἀμφ' ὤμοισι φαρέτρας
ἰοδόκους ἐφόρησαν· ἀσύλωτοι δέ φιν ὦμοι
δέξιτεροί, καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζός [3]).

Suo igitur iure maritimam deam comitabantur Amazones illae e fluctibus ortae, nam et ipsa Opis matrem habebat Γλαύκην, numen maritimum, invocabatur et ipsa:

δέσποιν' ἁλίας Ἄρτεμι Λίμνας [4]),

templumque possidebat in litore ipso sinus Saronici.

Optimae autem frugis sunt Strabonis haec de Elide verba: „μεστὴ δ' ἐστὶν ἡ γῆ πᾶσα Ἀρτεμισίων τε καὶ Νυμφαίων διὰ τὴν εὐυδρίαν [5])".

Deam vero maritimam equo vehentem depictam fuisse, non est quod miremur, cum quamcunque ob causam equus et mare coniungi soleant. Nummus ephesius [6]) exhibet Dianam in equo sedentem. Accedebat sane quod eadem dea lunaris fuit sed et illam ob causam equo albo vehi solebat Diana, ut omnia numina lucifera [7]). Quod ad comites eius attinet, eas quoque eadem de causa equis esse usas per se intellegitur. Iam vidimus unam

---

[1]) Callim. H. D. vs. 13 sq. [2]) ibid. vs. 42. [3]) ibid vs. 212 sqq.
[4]) Eur. Hipp. vs. 228. [5]) VIII, 343. [6]) Mionnet Suppl. VI, 435.
[7]) Robert Arch: Märchen tab. III.

harum nympharum Ἱππώ fuisse vocatam; addam autem alterum testimonium non minoris pretii. Legimus apud Pausaniam [1]: „χωρίον Ἀρτέμιδος καὶ Νυμφῶν ἐστὶν αἱ Κάρυαι· χοροὺς δὲ ἐνταῦθα αἱ Λακεδαιμονίων παρθένοι κατὰ ἔτος ἱστᾶσι καὶ ἐπιχώριος αὐταῖς καθέστηκεν ὄρχησις". Referunt igitur virgines illae Καρυάτιδες [2]) imaginem Amazonum circum Dianae Ephesiae aram saltantium, quas e Callimachi versibus notam habemus. Πυρρίχην fuisse illam saltationem Lucianus [3]) aperte docet; cuius haec sunt verba: „Λακεδαιμόνιοι.... παρὰ Πολυδεύκους καὶ Κάστορος καρυατίζειν μαθόντες e. q. s."

Eodem autem ritu alibi quoque Dianam et Amazones celebrasse videntur virgines. Erat Pausania teste [4]) Spartae templum quoddam Dianae sacrum, ubi sancto munere fungebantur παρθένοι καλούμεναι κατὰ ταὐτὰ ταῖς θεαῖς καὶ αὗται... quomodo? Λευκιππίδες. Quamobrem? Quoniam mortales speciem referentes Amazonum non quidem ut ipsa Dea vehebantur *equis albis*, sed nomine saltem numinis formae antiquissimae servabant memoriam.

Non secus ac ipsa Diana comites eius Amazones, cursu celerrimo campos et aequora perlustrare solitae, equis vehentes vulgo fingebantur. Sed et armatae erant ut ipsa Dea lunaris: peltis lunatis, arcubus, securibus. Tali ornatu Amazo

vel intactae segetis per summa volaret
gramina nec teneras cursu laesisset aristas,
vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
ferret iter celeris nec tingueret aequore plantas.

Ceterum Crusius [5]) optimo iure observavit Camillam Amazonem italicam, quam Vergilius [6]) vividis coloribus depinxit, non solam Penthesileam sed etiam Harpalycen in mentem nobis revocare. Fuit haec Harpalyce vera Amazo graeca, nomenque eius cohaeret cum Diana illa, cui Hippolytus, si fides Periegetae, ναὸν Λυκείας Ἀρτέμιδος dedicavit. Suspicatur autem Pausanias

---

[1]) III, 10, 7. [2]) Polluc. IV, 104. [3]) De Saltat. 10. [4]) III, 16, 1
[5]) Lex. Rosch. I 1835 sqq. [6]) VII 803, XI 570 sqq.

hanc ἐπίκλησιν, quam a voce λύκῳ derivat, Amazonibus quoque fuisse tributam. Haud iniuria, nisi quod nomen cum *lucendi* radice λυκ- cohaerere concedimus Usenero [1]). Prior nominis pars ex ἁρπαλο decurtata celeritatem exprimit.

Talem autem vim Dianam cum sociis suis habuisse non facile refellet quicumque hanc turbam cum germanica illa, quae „Wilde Jagd" appellatur, vel obiter comparaverit [2]). Sic οὔπιγγοι fuerunt carmina ἀλεξίκακα, quibus agricolae saevam mortiferamque illam turbam a frugibus arcere conabantur.

Fortes autem heroes non ad carmina sed ad gladium confugiebant, certamen cum ipsis daemonibus minime detrectantes. Talis hero fuit Theseus, qui in eadem regione, ubi Periphetam, Sinim, Scironem, Cercyonem, Procrustam, tot alia monstra naturae vires nocentes referentia, e medio sustulit, Amazones quoque impugnavit. Qua de causa non modo Athenis sed et aliis locis, puta ἐν Γενεθλίῳ, cum iis certasse fertur. Nec non, ut magno heroi par erat, cum Amazonum praestantissimis concubuit, filiosque ex iis procreavit, quorum nomina clare indicant ipsarum matrum naturam. Sic e Perigone Sinis filia genuit *Melannippum*, ex Antiope *Hippolytum* [3]). Nonne ipse Alexander Magnus Thesei exemplum secutus cum Amazonum regina rem habuisse tradebatur?

Antiope autem — Hippolyte quoque vocatur — postea pugnans occidit, καὶ τὴν στήλην τὴν παρὰ τὸ τῆς Γῆς τῆς Ὀλυμπίας ἱερὸν ἐπὶ ταύτῃ κεῖσθαι narrabant posteri. Roganti vero quae fuerit Γῆ illa Ὀλυμπία Plutarchus [4]) respondet fuisse cognomen .... Lunae. Quae verba miranda suo pretio aestimabis.

Fuerunt — quis mirabitur? — qui et Helenam illam, quam Theseus in templo Dianae Orthiae saltantem rapuit [5]), Amazonem

[1]) Göttern. p. 211.

[2]) Quod fecit Dilthey Rh. M. 25, 321 sqq. Lectu dignissima sunt quae scripsit Nilsson op. laud. p. 179 sqq.; prae ceteris autem Wilamowitzi praefatio ad Eumenidum versionem germanicam.

[3]) De quo vide S. Reinach „Hippolyte" in Arch. f. Rel. Wiss. X[1] p. 47 sqq.

[4]) De defect. orac. 416 E.

[5]) Plut. Thes. 31.

fuisse putarent. Tyndareum enim, Helenae patrem, cum filiae procos adigere vellet ad iusiurandum, quo Helenae maritique vitam ab omni iniuria se defensuros promitterent iuvenes, *equo mactato* per hostiae τόμια iuratos obstrinxisse [1]). In Lysistrata autem fabula [2]), cum de coniurandi ratione modoque inter feminas fit sermo, una ex iis *equum album* mactari iubet, quem morem ad Amazones unus e priscis interpretibus in scholiis rettulit. Equos autem ab Amazônibus immolatos commemorat etiam Pseudo-Callisth. III, 25.

Sed Helenam et Dianam Orthiam mittimus, de qua dea multa bonae frugis observavit Thomsen [3]). Quid autem inter Dianam ipsam et Amazones interest? Nonne cuivis perspicuum, virgines illas, e quibus Dianae chorus erat constitutus, ad unam omnes rettulisse ipsius deae imaginem „saepius veluti in speculis sibi oppositis repetitam." „Das Göttliche ist seiner Natur nach ein Unbegrenztes (ἄπειρον), das niemals durch eine Person, die wirklich individuell geworden ist, ganz ausgefüllt werden kann. Der Plural ist an sich etwas Abstrakteres" [4]).

Fuerunt igitur Amazones omnes Dianae, ut Diana ipsa fuit Amazo. Neque in Orientis angulo aliquo obscuro vel in Scythiae regione hiberna quaerenda est earum patria, sed ibi ubi Latonae filia primarium semper locum in hominum mentibus occupavit: *in ipsa Graecia.*

---

1) Paus. III, 20, 9.
2) Lysistr. vs. 191 sq.
3) Arch. f. Rel. Wiss. IX3. 4 p. 397 sqq.
4) Wilamowitz Griech. Trag. II p. 217.

DE CARNEIS.

DE CARNEIS.

I.

Euripidis Alcestin relegens haesi in versibus aliquot, qui iam ante me vexarunt permultos neque fortasse post me vexabunt pauciores. Non quod fugiat nos quid dicat poeta; cuius verba minime sunt obscura, licet constructio non ab omni parte sit perspicua; sed sensus loci penitus percipi nequit, nisi e re mythologica petatur auxilium. Et adierunt dudum alii editores fontem mythologicum — optime sibi conscii ad tragicos antiquos ascendere non posse, nisi qui huius fontis lympha antiquorum hominum de rebus sacris opinionibus sit initiatus — necnon fecit huius tragoediae editor, Hermannus Hayley, qui varios unde fabula provenit mythos afferendo, ordinando, explicando, pro viribus suis facere quae facienda erant laudabiliter est conatus. Qui licet rem ad finem nondum perduxerit, est tamen quod gaudeamus, nam multum profecimus.

Versus, quos volo, sunt (446 sqq.):

πολλά σε μουσοπόλοι
μέλψουσι καθ' ἑπτάτονόν τ' ὀρείαν
χέλυν ἔν τ' ἀλύροις κλέοντες ὕμνοις,
Σπάρτᾳ κύκλος ἁνίκα Καρνείου περινίσσεται ὥρας
μηνὸς ἀειρομένας
παννύχου σελάνας
λιπαραῖσί τ' ἐν ὀλβίαις Ἀθάναις.

In libris legitur *ὥρα*, unde vulgo e Scaligeri coniectura editur *κυκλὰς ἁνίκα Καρνείου περινίσσεται ὥρα*; quae lectio licet adversarium habeat Hesychium s. v. *περινίσσεται ὥρας*, multo est elegantior.

Χέλυς illa *ὀρεία* satis defenditur Hymn. Merc. vs. 33: *χέλυς οὔρεσσι ζώουσα*. Quod ad verba *ἀλύρους ὕμνους*, res est controversa, de qua duo viri, *ἀριστῆς ἐν φιλολογίᾳ*, prorsus diversa senserunt. Vertit enim G. Hermannus „carmina epica", Valckenaerius autem „carmina lugubria". Equidem illum sequi velim, licet lamentantium querelae ad tibiam cantatae ab Euripide alibi vocentur *ἄλυροι ἔλεγοι*. Nam epica carmina a rhapsodis in certaminibus nulla lyra adhibita recitabantur. Gerebat enim rhapsodus scipionem (Vide Timoth. Wilamow. p. 76).

Chorus igitur Alcestin defunctam valere iubens summam ei apud posteros famam promittit, cum tam Athenis — in theatro scilicet, nam Euripidem his verbis suam ipsius tragoediam significasse non iniuria contenderit aliquis — quam Lacedaemone mense Carneo plenilunii festo uxor optima sit auditura.

Mense autem Carneo dies aliquot festos Apollinis in honorem egisse Spartanos iam didicimus, cum pugnae Marathoniae cur non interfuissent Lacedaemonii historico e libello accipiebamus. At quid Alcestidi Thessaliae reginae cum Carneis? Quae fuit Carnei Apollinis natura atque indoles, ut cum huius dei sacris Alcestidis nomen coniungi posset? Nam, ut quivis videt, de carmine non semel iterumque in Carneis prolato, sed de carmine *solemni* Euripides loquitur.

Parum autem prodest id, quod observare solent editores: „mirum non esse, quod in carminibus Apollini sacris celebrata sit dei in Admetum benevolentia", et testari videntur poetae verba, fabellam in Thessalia ortam arctissimo quodam sanctissimoque nexu cohaesisse cum dei peloponnesiaci cultu pervetusto. Quaeramus igitur an veterum, quae ad nos pervenerunt de Carneo deo observationes, praebeant quod ad rem faciat.

II.

Demetrius Scepsius, alterius a. C. n. saeculi scriptor, de Carnei diebus festis tradidit haec [1]:

„τὴν τῶν Καρνείων ἑορτὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις μίμημα εἶναι στρατιωτικῆς ἀγωγῆς. τόπους γὰρ εἶναι ἐννέα μὲν τῷ ἀριθμῷ· σκιάδες δὲ οὗτοι καλοῦνται, σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν τι· καὶ ἐννέα καθ' ἕκαστον ἄνδρες δειπνοῦσι, πάντα τε ἀπὸ προστάγματος κηρύσσεται· ἔχει δὲ ἑκάστη σκιὰς φρατρίας τρεῖς, καὶ γίνεται ἡ τῶν Καρνείων ἑορτὴ ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα.

Iniuria, opinor, Kaibel quae praebent MSS. verba ἀπὸ προστάγματος κηρύσσεται mutavit in ἀπὸ κηρύγματος πράσσεται. Nam sensus est hic: omnia quae civibus sunt facienda fieri debent e praeceptis certis more maiorum consecratis (ἀπὸ προστάγματος); singula autem quae his praescriptis continentur, non fiunt antequam κῆρυξ vel tuba vel voce dederit signum. Conferendi sunt Aristophanei versus:

ἀκούετε λεῴ· κ α τ ὰ τ ὰ π ά τ ρ ι α τοὺς χοᾶς
πίνειν ὑ π ὸ σ ά λ π ι γ γ ο ς,

ubi Scholiasta: „ἐκάλουν οἱ κήρυκες σάλπιγγας βαστάζοντες καὶ ἐσήμαινον" [2].

Quod autem nil nisi signo dato in Carneis fiebat, minime inde sequitur verum esse id quod ait Demetrius, militares hos fuisse ludos, nisi quis Χοᾶς quoque tale quid fuisse contendere velit. In Doriensium re publica, si quae alia Marti dedita, dies etiam festos disciplina militari fuisse ordinatos quis mirabitur! Neque αἱ σκιάδες, quasi fuerint *militum tabernacula*, pro festi natura militari testimonio afferantur velim, cum Iudaeorum τὴν σκηνῶν ἑορτὴν e Libris Sacris noverimus et Romanos in Neptu-

---

[1]) Athen. IV 141e. Excerptum est e Demetrii τοῦ Τρωϊκοῦ διακόσμου libro primo.
[2]) Facio igitur cum Widio Lak. kult. p. 81.

nalibus casas frondeas ponere solitos fuisse doceat Festus s. v. *umbrae* [1]).

Neque iure suspicetur quispiam ordinem, quo per umbras distribuerentur Spartani, referre similem ordinem in exercitu usitatum. Nam numerum novem sanctum antiquis in ritibus, quibus militari cum re commune erat nihil, permultum valuisse et alia [2]) testantur et docet Pausanias II, 31. 4: „*τὸν δὲ ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ λίθον, καλούμενον δὲ ἱερόν, εἶναι λέγουσιν ἐφ' οὗ ποτὲ ἄνδρες Τροιζηνίων ἐννέα Ὀρέστην ἐκάθηρον.*"

Difficiliora autem sunt Demetrii verba quam primo aspectu videntur. *Φρατρίαι* enim illae aliunde in Lacedaemoniorum republica prorsus ignotae quae et quid tandem fuerunt? Quodsi scriptor, ut v. d. quidam ad incitas redacti proposuerunt, hac voce significarit *obas* laconicas, e discrepantia quae est inter phratriarum numerum novem et lochorum illum quinque, iterum apparet Carneorum festum non fuisse *ἑορτὴν στρατιωτικὴν καὶ ἀγωγήν*.

Sed si praetermittimus quae sive Demetrii culpa sive propter testimoniorum penuriam sunt dubia aut obscura, manet hoc, quod nulli non dubitatione exemptum videbitur: Spartae per novem dies mensis Carnei viros 81 epulatos esse in tabernaculis novem casarum frondearum exhibentibus formam. Cenam vero fuisse sobriam frugalique antiquorum Laconum more institutam, inde efficere licet, quod Demetrii verba inter aliorum scriptorum excerpta de antiquorum more vivendi simplicissimo agentia ab Athenaeo sunt inserta [3]). Quodsi non perperam est observatum Demetrium descripsisse dies festos quales *sua* aetate agerentur, admiratione sane dignus est ritus immobilis sibique constans, qui, cum Lacedaemoniorum mores ad deteriora pedetemptim declinarent et dissolutiora, servarit priscam victus tenuitatem.

---

[1]) Conferantur *χλωραὶ σκιάδες μαλακῷ βρίθουσαι ἀνήθῳ* Adonidi in honorem positae (Theocr. XV, 119) et mores Troezeniorum descripti a Pausania II, 31, 8. Plura praebuit Toepffer A. M. XVI, 413 sqq.

[2]) Hom. γ 7 sqq. Vide quoque Paus. VII, 20, 1; Roscherum in comment. de Enneade etc.

[3]) Vide quam sobrie frugaliterque Dioscurorum convivia semper sunt acta.

Priscum autem morem tamdiu perstitisse cur negemus, cum C. I. G. 1446ª nos doceat, *altero* etiam *post* C. n. saeculo mulierem Carnei dei functam esse sacerdotio in familia sua hereditario? E sacerdotio autem muliebri, ut in transitu hoc observem, luculenter apparet a Marte et re militari aliena fuisse Carnea.

Iam videamus quo die Carnei mensis (Iul./Aug.) ἑορτή initium habuerit. Narrat Plutarchus [1]) Platonem γενέσθαι Θαργηλίοις Ἀθήνησι, Carneadem Κάρνεια Κυρηναίων ἀγόντων. Addit: ἑβδόμῃ δὲ ἀμφοτέρας ἑορτάζουσιν. Eodem igitur die quo et ipse Apollo natus ferebatur — qui inde Ἑβδομαγένης audiebat — Cyrenae Carnea incipiebant agebanturque usque ad diem decimum sextum. Etiamne Spartae? Nam hanc quaestionem ne omittamus monet inscriptio Therae reperta, ab Hillero edita in Herme (1901):

Ἀγλωτέλης πράτιστος ἀγορὰν hικάδι
Κα[ρ]νῆια θεὸν δείπν[ι]ξεν hοὐνιπαντίδα
καὶ Λακαρτῶς.

Quae verba admodum obscura v. d. ita vertit: „Agloteles, der Sohn des Enipantidas und der Lakarto, allererster in der öffentlichen Rede, hat am 20. [Karneios] dem Gotte ein Karneenmahl zubereitet."

Mihi id modo certum videtur: *vicesimo* mensis die Theraeos deum convivio excepisse, rectissimeque Hillerum annotasse: „man weiss, dass es gerade auf dem gebiet des griechischen Kalenders überaus misslich ist, von einem Orte auf den anderen zu schliessen." Sic Coi non quotannis sed tertio quoque anno Carnea agebant [2]).

Itaque subsidia alia ut res ad finem perducatur arcessamus necesse est; recenseamus locos ubi de Carneis agitur.

Thuc. V, 54 nullam opem affert ad quaestionem propositam dirimendam. Cum vero hic locus observationi utilissimae praebeat ansam, oblatam occasionem statim arripere mihi liceat.

---

[1]) Quaest. Symp. VIII, 2.

[2]) J. H. S. IX, 328. Sed vid. Dittenb. Syll. II. p. 408 Ann. 8.

Vocabula enim *ἱερομήνια* [1]) *Δωριεῦσι* non possunt, quin lectorem non monitum in errorem inducant. Credet enim, atque id eo magis cum Thucydidem habeat auctorem et testem, Carnea ab origine fuisse *ἑορτὴν Doriensium*. Quo nil longius a vero abest, cuius rei afferam documentum hucusque nondum quod sciam pretio aestimatum suo.

Inter mala enim, quibus Clisthenes, *ὁ Σικυωνίων λευστής*, vexavit Dorienses nobiles, primarium locum obtinet hoc, quod regum Sicyonicae pristinorum recensionem habuit severissimam. Stemmata horum regum e variis fabellis Sicyoniis composita circumferebantur. Clisthenes autem ex hac serie eliminavit reges septem, Heraclidas, quorum nominibus freti Dorienses perhibebant se non illegitime Sicyoniae regnum affectare, immo terram poscere *suam*, quandoquidem iam ante Doriensium in paeninsulam reditum Dorienses Sicyoniam regionem habitasse doceret historia. In septem horum locum Clisthenes — nam tyrannus supra historiam — inseruit *Carnei sacerdotes* septem, quorum primus erat Archelaus Clisthenis ipsius phylae eponymus [2]). Faciamus nunc Carnea fuisse Doriensium propriam *ἑορτήν*, quid tunc Clisthenes, qui Dorienses antiquitus Sicyone consedisse quoquomodo negare vellet, qui hanc ob rem stemmata legitima corrumpere, vitiare, adulterare infra se non haberet, ineptius facere potuisset quam pro *Doriensium* regibus substituere sacerdotes cultus *dorici*? quid magis ridiculum quam Clisthenes, qui Dorienses vel *ὠμοὺς φαγεῖν* vellet, se ipsum esse e nobili gente dorica palam enuntians? Immo, qui recordatur Melanippum heroem a Clisthene e *Boeotia* in Sicyoniam esse introductum,

---

[1]) *ἱερομηνία* Stahl, Herwerdenus, sed Photii verba *Θεσμοφόρια· ὄνομα ἑορτῆς. Θεσμοφορία· δεκάτη* (sc. *ἡμέρα*), monent ut hic quoque scribamus *ἱερομήνια*, cum de *toto festo* sermo fiat, non de uno die ut Thuc. III 56, 2. Cf. Hesych. *ἱερομηνία· ἑορτάσιμος ἡμέρα*. (Harpocr. i. v., Pind. Nem. II 1, 2: *ἱερομηνίᾳ Νεμεάδι*). Eodem modo distinguantur *Κάρνεια* et *Καρνεῖαι* (*ἡμέραι*).

[2]) Sic cum Busolt Gr. G. I 665[4]. Cf. Wilam. Herm. XXXVIII p. 580 annot. Nilsson op. laud. p. 119 annot. Herw. Append. Lex. Suppl. s. v. *Κάρνεα*. Nilsson quoque concedit festum non fuisse doricum ab origine.

Messapum item *boeotum* ab eo in novam regum seriem fuisse insertum, Adrasti cultum tyranni iussu *boeoto* Dionyso cessisse loco, τὸ βοιωτιάζειν igitur magis quam τὸ λακωνίζειν Clistheni fuisse cordi, is facile suspicabitur Carnea antiquitus ex ipsa Boeotia in Sicyoniam vel potius in totam Peloponnesum irrepsisse. Quam suspicionem alia mox confirmabunt argumenta. Nunc ad propositum redeamus atque alios ubi de Carneis agitur inspiciamus locos, ut certius definiri possint horum ludorum fines.

Herodotus narrat [1]) Spartanis quominus Atheniensibus apud Marathonem pugnaturis auxilio venirent obstitisse τὸν νόμον. ἦν γὰρ ἱσταμένου τοῦ μηνὸς εἰνάτη, εἰνάτῃ δὲ οὐκ ἐξελεύσεσθαι ἔφασαν μὴ οὐ πλήρεος ἐόντος τοῦ κύκλου. οὗτοι, pergit auctor, μέν νυν τὴν πανσέληνον ἔμενον. Quo loco Herwerdenus [2]) deleto vocabulo εἰνάτῃ legendum censet: ἦν γὰρ ἱσταμένου τοῦ μηνὸς εἰνάτη, οἱ δὲ οὐκ κ. τ. λ., hoc argumento usus quod plenilunia exspectare mensis die nono, nisi miraculum fiat, τοῦ ἑκόντος ἠλιθιάζοντος sit. Eam autem ipsam ob causam textum traditum servare velim equidem, quare hanc explicationem propono: Phidippides, qui δευτεραῖος ἐκ τοῦ Ἀθηναίων ἄστεος venerat Spartam, qui magistratus adierat confestim, citissime — si fieri posset hoc ipso die — ut mitterentur auxilia enixe petebat. Spartanos autem callidiores quam calidiores respondisse credo his fere verbis: „at optime scis, o bone, esse hodie diem vix *nonum* mensis incipientis, *statim* igitur copias ut educamus nullo fieri potest modo, nisi (cum leni risu) miraculum fiat, deaque iam nono mensis die orbem suum compleat. Sin minus, ut plenilunii tempus ordinarium expectemus iubent religio et lex." Nonne sic optime sibi opponuntur exardens impetus nuntii festinantis ac Lacedaemoniorum tardantium frigidissima continentia; illius patriae suae amor generosus, horum civitatis laconicae commodis

[1]) VI, 106, 10.

[2]) Ann. ad Thuc. V, 75 in ed. Herw.

intenta mens? Servemus igitur lectionem traditam, unde discimus Spartanos ante plenilunium, i. e. ante medium mensem — nam mensis atque luna nascuntur simul et intereunt [1]) — exercitum educere noluisse. Cuius autem mensis? — „Nempe τοῦ Καρνείου μηνός", exclamabis, „qui cum Metagitnione attico congruit!" — At sunt qui aliter sentiant, inter quos Busoltius ratiocinatur sic [2]): „Herodotus loco nostro de mensis nomine prorsus silet, cum alibi (VII, 206) aperte dicat „μετὰ δέ, Κάρνεια γάρ σφι ἦν ἐμποδών, ἔμελλον ὁρτάσαντες ... κατὰ τάχος βοηθέειν πανδημεί." Deinde Pausanias quoque, ubi de Marathonia agit pugna, Carnei mensis nomine omisso habet haec modo: „εἶναι γὰρ δὴ νόμον αὐτοῖς μὴ πρότερον μαχουμένους ἐξιέναι πρὶν ἢ πλήρη τὸν κύκλον τῆς σελήνης γενέσθαι." Denique Schol. Ar. Ach. 84 nude loquitur de πανσελήνῳ quam περιέμενον Lacedaemonii. Contra qui mensis nomen adiecit Plutarchus minime Metagitnionem sed Boedromionem nominat [3]): „οὐ γὰρ μόνον ἄλλας μυρίας ἐξόδους καὶ μάχας πεποίηνται μηνὸς ἱσταμένου μὴ περιμείναντες τὴν πανσέληνον, ἀλλὰ καὶ ταύτης τῆς μάχης ἕκτης Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου γενομένης ὀλίγον ἀπελείφθησαν, ὥστε καὶ θεάσασθαι τοὺς νεκροὺς ἐπελθόντας ἐπὶ τὸν τόπον." — „Es ist demnach sogar anzunehmen, dass die Botschaft der Athener nicht in die Zeit der Karneien fiel."

Vereor tamen ut causam suam omnibus probarit Busolt. Nam primum, quod ad Plutarchi attinet testimonium, commutavit Plutarchus diem, quo pugna Marathonia est commissa, cum illo die quo postea ad pugnam celebrandam necnon ad votum Dianae exsolvendum, hostiae in τῆς Ἀγροτέρας ara mactabantur. Audiamus ipsum, post verba supra allata ita causam suam defendentem: „οὐ τὴν πρὸς Ἄγρας πομπὴν ἱστόρηκας (o, Herodote) ἣν πέμπουσιν ἔτι νῦν τῇ Ἑκάτῃ χαριστήρια τῆς νίκης ἑορτάζοντες. At, rogaveris, verine putas esse simile Athenienses hecatombas Dianae promissas non illo anni die quo habita erat

---

[1]) Vid. e. g. Thuc. II, 4 ubi σκότος nocturnus explicatur hoc modo: καὶ γὰρ τελευτῶντος τοῦ μηνὸς τὰ γιγνόμενα ἦν.

[2]) G. G. II, 580, 3.

[3]) De Herod. mal. 26.

pugna egisse? Immo certum. Nam post pugnam commissam primum quemque, qui Dianae sacer haberetur dies, exspectarunt, quo votum si non omne at pro parte constituta deae solverent, fuitque hic dies d. sextus mensis insequentis Boedromionis. Mansit haec consuetudo; nec praepostere *τὰ Γενέσια*, die quinto mortuorum in honorem celebrata, cum sacrificio die sexto ob victoriam reportatam *Ἀρτέμιδι τῇ Χθονίᾳ* oblato coniuncta videbantur.

Alterum quoque Plutarchi argumentum, si propius consideratur, fumum esse apparebit. Commiserunt, inquit, innumeras pugnas *τοῦ μηνὸς ἱσταμένου*! Quid ni! Hac enim de re cum Herodoto consentit *ὁ Χαιρωνεύς*, post plenilunium Spartanis educere exercitum licuisse, diem igitur mensis quintum decimum ultimum fuisse Carneorum. Cum vero per ferias novemdiales deus coleretur, apparet sex primis diebus mensis per religionem nihil obstitisse quominus Lacedaemonii sumerent arma.

„At obstant etiam alter Herodoti locus, verba Pausaniae, scholiastae observatio." Non credo; *nullum* enim nominarunt mensem. Qui si Boedromionem voluerunt, ut Plutarchus, parum caute ut ille historiam conturbarunt; sin de unoquoque mense valuisse perhibuerunt legem qua plenilunium observare Lacedaemonii iuberentur, — quod veri duco dissimile, — valuit de Carneo quoque mense.

Itaque tute constituere possumus Lacedaemonios Carnea egisse per temporis spatium novemdiale quod Metagitnionis mensis plenilunium antecedebat, i. e. die septimo usque ad diem sextum decimum.

De *tempore* postquam certi sumus facti, fragmenta quibus agitur de *ratione* qua Carnea celebrabantur, e lexicographis praesertim collecta, enumerare, si opus sit pro viribus meis explicare, loca ubi deus colebatur succincte recensere pergam, dein de Carneorum origine, patria, historia, quatenus materia ac vires sinent, disputabo. Fragmenta, quae praemittam, iam ante collegerat S. Wide in libro utilissimo „Lakonische Kulte";

alia quae aliunde conquisivi loco suo tractabo. Singulas autem quas de Carneis protulerunt v. d. opiniones seorsum recensere, cum fusius hoc munere functus sit Widius in Lexico Roscheriano, ne acta agere videar, omittam. Ipsam autem rem nondum ad finem perductam esse Widius huius materiae index peritissimus his prolocutus est verbis: „Streng beweisend sind meine Auseinandersetzungen freilich nicht.... aber die von mir vorgetragenen Ansichten sind doch besser begründet, als die jetzt geläufigen. Uebrigens bin ich zufrieden, wenn es mir gelingen würde, die Karneios- und Karneienfrage wieder im Fluss zu bringen" (pag. 87 Ann.).

Bekk. Anecd. I p. 234: *Γυμνοπαιδία· ἐν Σπάρτῃ παῖδες γυμνοὶ παιᾶνας ᾄδοντες ἐχόρευον Ἀπόλλωνι τῷ Καρνείῳ κατὰ τὴν αὐτοῦ πανήγυριν.*

Ibid. I p. 305, 25: *Σταφυλοδρόμοι· κατὰ τὴν τῶν Καρνείων ἑορτὴν στέμματά τις περιθέμενος τρέχει ἐπευχόμενός τι τῇ πόλει χρηστόν, ἐπιδιώκουσι δὲ αὐτὸν νέοι, σταφυλοδρόμοι καλούμενοι, καὶ ἐὰν μὲν καταλάβωσιν αὐτόν, ἀγαθόν τι προσδοκῶσιν κατὰ τὰ ἐπιχώρια τῇ πόλει· εἰ δὲ μή, τοὐναντίον.*

Hesych. i. v. *Σταφυλοδρόμοι· τινὲς τῶν Καρνεατῶν παρορμῶντες τοὺς ἐπὶ τρύγῃ* cf. C. I. G. 1387, 1388.

Ibid. i. v. *Καρνεᾶται· οἱ ἄγαμοι κεκληρωμένοι δὲ ἐπὶ τὴν τοῦ Καρνείου λειτουργίαν· πέντε δὲ ἀφ' ἑκάστης* <*φύλης*?> *ἐπὶ τετραετείαν ἐλειτούργουν.*

Ibid. i. v. *Ἀγητής. ὁ ἱερωμένος· ἄτιμος· ἐν δὲ τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερωμένος τοῦ θεοῦ.* Sic Widius glossam attulit; apud Hesych. vero exstat *ὁ ἱερωμένος τ ῆ ς θεοῦ*, quod olim mutavit Meursius.

Loca quibus deus colebatur sunt haec:

in Laconica: Sparta, Gythium, Las, Oetylium, Leuctra, Cardamylae, Amyclae (C. I. G. 1446).

in Messenia: Pharae, campus Sthenuclerus (Mysterien Inschrift v. Andania Collitz. 4689).

in Sicyonia: Sicyon.

in Argolide: Argos (C. I. G. 1152).

Praeterea: Camirus, Loryma, Thera, Cnidus (Coll. 3527),

Cos (Paton-Hicks 38, 10), Cyrene (Pind. Pyth. V, 75), Thurii (Theocr. V, 83).

Mensis Carneus commemoratur: Calymnae, Nisyri, in Creta, Gelae, Agrigenti, Syracusis, Tauromenii, Tarenti [1]).

Docet Pindarus l.l. hunc cultum e Laconica Theram atque inde Cyrenam esse translatum; eadem fortasse via alias quoque in insulas pervenit [2]). In Messeniam cum Spartanis penetravit [3]), in Italiam Siciliamque simul cum colonis Doriensibus. Restant igitur praeter Spartam et Amyclas: Argos, Sicyon, Creta, oppidulorum series Taygeti montis litore utroque.

III.

De Carnei dei nominis significatione licet varias in partes disputari possit, festum ipsum quin cum Lunae cultu coniunctum fuerit dubitare poterit nemo. Totius enim festi ἀκμή erat ἡ παννυχίς, qua post dies novem plenissima fulgebat σελήνη. Neque iniuria dea renata plausu effusisque clamoribus salutabatur. Quanto enim nobis sub Arcto viventibus maioremque anni partem frigoribus, umoribus exercitis sol luna est acceptior, tanto sole gratior luna est iis, qui Europam meridionalem incolentes fere cottidie solis ardorem molestum sibi, pecoribus nocivum experiuntur, nec nisi die vesperascente sub lunae regimine dulciore atque leniore vivere se aestimant. Itaque solem effugiunt et metuunt, ob vim pestiferam; orientem modo vel occidentem adorant, sed odio habent stantem in medio caelo; pulcherrimus iis videtur sub occasum, unde ὁ ἥλιος βασιλεύει neo-graece significat „sol occidit". Bene autem Graecis

---

[1]) Byzantii? Preller-Robert p. 252 Ann. 2.

[2]) Gruppius Gr. Myth. p. 161 Ann. 16 ex Argolide repetit, argumento adiecto nullo.

[3]) Gruppius p. 162 Ann. 6.

tunc demum vivitur cum tardas dux gregis inter oves solis vehementiam nimis diu perpessus animo grato suspicit lucem candidam illius deae, quae astris innumeris stipata pastoris inter gregem versantis imaginem referre videtur ipsa [1]. Vesperi igitur,

ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην
φαίνετ' ἀριπρεπέα ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ,
πάντα δὲ Ϝείδεται ἄστρα, γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν.

Accedit haec quoque res haud levis momenti ad lunae cultum apud antiquissimos homines explicandum, quod luna leni suo per caelum motu variisque suis figuris accuratius et clarius quam sol progressum dierum indicat. Simplicem igitur pastorem, qui suis in montibus ageret vitam modicam, lunae magis quam solis curasse cursum temporisque spatium diebus potius quam annis divisisse, quis miretur?

Sed herbis quoque crescentibus favere luna videbatur. Nam cum iis noctibus, quibus caelum nubibus caret et luna clarissime resplendet, tam solum quam herbae maxime refrigescere soleant, unde augetur roris copia et vis; cumque meridionalibus in terris pluviae raro cadentis officio fungatur ros [2], *lunam ipsam* herbas umore respergere, vim crescendi augere fama ferebat popularis. Unde luna apellabatur φερέκαρπος [3]; quin et dicebatur: ἡ σελήνη ὑγραίνει [4]. Qua re minime miramur lunam deam cum Terrae numine coaluisse, ut una eademque dea tam in caelo quam in terra regnare naturaeque vitam moderare aestimaretur. Invocabatur autem nomine τῆς θεοῦ, nam, ut rectissime observavit Herodotus [5]: „ἔθυον πάντα πρότερον οἱ Πέλασγοι θ ε ο ῖ σ ι ἐπευχόμενοι, ἐπωνυμίην δὲ οὐδὲ οὔνομα ἐποιεῦντο οὐδενὶ αὐτῶν". Paulatim, ut numinis species diversae accuratius indi-

---

[1] ἀγεῖτο σελάνα ποιμὴν νυχίων θεῶν Synes. hymn. IX, 33 sqq.

[2] Vid. Ψ 597 Aesch. Agam. 1389 sq.

[3] Hymn. Orph. IX, 5.

[4] Io. Lydus p. 62 (ed. Boether.). Plurima optimae notae hisce de rebus collegit Roscher „Selene etc."

[5] Herod. II, 52.

carentur, nata sunt nomina appellativa, quae cum mox in propria abiissent, etiam propriis illis promiscue usi sunt homines. Quinimo Lunam Terrae filiam faciebant, ut Aeschylus *ἐποίησε Ἄρτεμιν εἶναι θυγατέρα Δήμητρος* [1]).

Celsae huic deae in montium cacuminibus sedes struebant mortales. Thronum e. g. duabus instructum senibus in Chalces insulae vertice invenit Hillerus [2]); erat dedicatus, ut monet inscriptio, Iovi et Hecatae. Thronum simili modo in rupibus exsculptum sed uni Hecatae dedicatum idem repperit in culmine Rhodi. De quibus thronis audacius licet egerit Reichel [3]), prorsus tacerem neque Therae quoque complures inventos esse referrem, nisi Wolters [4]) docuisset *prope templum Carnei Apollinis* a Weilio Therae in insula repertum, plurimas eiusmodi sedes in rupibus excisas invenisse exploratores. Qui vero reputat Hecaten illam, cui *summo* in monte solia struerentur, fuisse deam lunarem, haec autem solia reperiri in insula ubi quam maxime vigeret Carnei cultus, is mecum fortasse suspicabitur ab ipsis Carnei cultoribus sedes has sublimes esse exstructas, ubi ovibus mactatis placarent numen divinum simulac ad *ἀκμήν* suam pervenisset. Nam hoc tempore mortalibus

τέκμωρ καὶ σῆμα τέτυκται.

Cave vero putes haec sacrificia pro veris diebus festis tunc fuisse temporis. Pecus enim, cum nullo die edere obliviscatur cottidieque in pascua educi velit, aetate pastoricia quin totum diem ab opere solito cessarent homines strenuo impediebat balatu. Neque opus pastoribus fuit tempore longiore quo vires quiete reficerent exhaustas, utpote qui vitam minime molestam et a virium contentione alienam agere solerent. Simplicissimo igitur modo colebant deos et inter eos operis sui patronum, qui Carnei dei nomine non exiguis sacrificiis fruebatur et honoribus. Videamus quis ille fuerit et quo modo cum Luna coniungi potuerit.

---

[1]) Herod. II, 56. [2]) Arch. Mitt. XVII, 3.

[3]) Ueber vorhellen. Göttercuite p. 30. [4]) Ath. Mitt. 1896. p. 252 sqq.

Exstant apud lexicographos hae glossae:

καρανώ · τὴν αἶγα Κρῆτες.
κάρα · αἶξ ἥμερος Πολυρρήνιοι.
κάρνος · πρόβατον.
καρός · βόσκημα.
κάρ · πρόβατον.

Ab hac radice *καρ-ν* (cf. *cor-n-u*; *τὸ κάρνον = ὁ κάρνυξ*, cornu Gallorum. Schol. Σ 211) plerique Carnei nomen derivant, neque habeo quod iis obiiciam, nisi quod illud nomen minime, ut illi fecerunt, interpretandum duco *τὸν τῶν κάρνων* sive *προβάτων θεόν*, sed *deum Cornutum*, i. e. *omnium* cornigerorum animalium, tam boum quam bidentium, patronum. Quem deum, pro prisci consuetudine temporis, non specie humana indutum sed animalis praeditum forma sibi informabant antiqui homines, e. g. *κριόμορφον*, qualis in nummis adspicitur delphicis autonomis arietinum exhibens caput. Idem igitur ab origine erat atque *ὁ Κριοφόρος* i. e. deus arietis *προτόμῃ* ornatus, quem posteri — puta Tanagraei — appellabant *Mercurium* Criophorum et arietem humeris gestantem sculpebant [1]).

Hinc intellegimus cur etiam postea nonnullis locis iuxta inventi sint *τοῦ Καρνείου* ac *τοῦ Κρίου* cultus [2]), neque nos fugit Periegetae verborum sensus interior cum sic scribit: „*ὁ δὲ Καρνειος, ὃν Οἰκέταν ἐπονομάζουσι, τιμὰς εἶχεν ἐν Σπάρτῃ καὶ πρὶν Ἡρακλείδας κατελθεῖν, ἵδρυτο δὲ ἐν οἰκίᾳ Κρίου τοῦ Θεοκλέους, ἀνδρὸς μάντεως*" [3]).

Vidimus supra lunam in pastorum religione et cultu locum occupasse primarium; conicimus autem *τὴν Κερασφόρον Σελήνην*, *deam cornutam*, a *deo cornuto* non esse seiungendam, et revera apud Andaniam, ubi *Καρνασίῳ ἐν ἄλσει* stabant *ἀγάλματα Καρνείου καὶ Ἑρμοῦ κριοφόρου*, reperta est inscriptio, qua nescio quis mactare iubetur *Ἀπόλλωνι Καρνείῳ κάπρον, Ἁγνᾷ οἶν* [4]).

Quid inde sequitur? Hoc opinor, *τὰ Κάρνεια* fuisse *ἑορτήν* qua

---

[1]) Paus. IX, 22, 1.
[2]) Paus. IV, 33, 4.
[3]) Paus. III, 13, 3.
[4]) Inscr. And. l. 34.

numen cornibus praeditum colebatur; deinde, hoc Numen pro priscorum hominum opinionibus duplici forma, altera masculina, altera feminina, in cultorum mentibus vixisse; denique imaginem femininam, ut erat mente concepta, iam antiquissimis temporibus cum Luna coaluisse. Masculina vero illa multo demum post formam abiecit *θηριόπλαστον*, ut dei cuiusdam Olympici imaginem indueret. Quod quando et cur sit factum infra videbimus; priscis vero, de quibus nunc agimus, temporibus nude appellabatur *ὁ Κάρνειος*, neque deerat mythus, qui cum dea cornuta affinitate quadam coniungere eum conabatur. In illa certe regione, ubi Carnei sacerdotes eximio utebantur honore, Sicyonem dico, nata est Praxilla poetria, quae cecinit *ὡς Εὐρώπης καὶ Διὸς εἴη ὁ Κάρνειος.*

IV.

Aetatem pastoriciam comitabatur vel secutum est tempus quo praevalebat agricultura; cuius labores duriores plus quietis poscunt ad vires reficiendas. Agricolae igitur dies festos institutos agebant ita, ut operibus soluti genioque indulgentes veram *ἑορτὴν* tam *νουμηνίαις* quam *πανσελήνοις* celebrarent. Non quod lunae numini plus quam pastores debere se arbitrarentur; immo minus. Nam cum late vagari desiissent, glebaeque ascripti experientia didicissent, sive bonos sive malos fructus ferret ager, terrae praesertim naturae id esse tribuendum, ceterorum numinum cultus prae Terrae Matris illo nunquam omisso illis frigebat. Tamen priscam Lunae reverentiam servabant. Iuxta agnum pastorum ritu in ara deae mactatum, aper dei cornuti in honorem cadebat, sed cum omnes menses aeque olim essent observati a pastoribus, agricolis ille praesertim in honore erat mensis quo largam ex areis vinetisque messem ferebant domum; tempus dico autumnale.

Quid mirum cantica, saltationes, ludos, quaeque alia mes-

sorum, vindemiatorum, opus peractum coronare solent, tunc Lunae autumnalibus in festis obtinuisse locum! E. g. in pulcherrima Scuti descriptione homerica legimus messores solitos fuisse ipsis in agris parare et sumere cenas, ne domum abeundo tempusque illic terendo messis horas perderent. Sub *arboribus* igitur servi mulieresque laborantibus viris navabant operam:

κήρυκες δ' ἀπάνευθεν ὑπὸ δρυΐ δαῖτ' ἐπένοντο,
βοῦν δ' ἱερεύσαντες μέγαν ἄμφεπον, αἱ δὲ γυναῖκες
δεῖπνον ἐρίθοισιν λεύκ' ἄλφιτα πόλλ' ἐπάλυνον [1]).

Ubi vero deerant arbores, ponebant umbracula, ut a solis ardoribus tuti cenarent homines, ut vesperam, noctem, ibi transigere possent. Sed maximum commodum umbrae [2]) illae praebebant cum instabat plenilunium, quo tempore sub divo pervigilare more maiorum solebant agricolae. Quin opus esse locis talibus ad lunae festum rite celebrandum mox putabant iuniores et ei quoque qui nullis messibus occupati *παννυχίδα* agebant, umbras utpote ludorum cenarumque scenam necessariam naviter instituebant.

Posterior aetas tam armis quam agriculturae dedita, sed in diebus festis servandis tenax, quomodo in Carnea irrepsissent umbrae fortasse est oblita, sed nihilo secius in umbris ponendis perseveravit, donec volventibus annis aliquis ratione mythologica explicare tentavit, qui inter tabernacula et Carnea esset nexus.

Si quis tali modo factum esse negabit, libenter audiam quibus argumentis explicationem refutet; at si negabit tali modo fieri *potuisse*, monebo in promptu esse exempla quae causam meam tueantur.

Tres enim in Pentateucho numerantur dies festi, Massoth, Kasir, Asiph, vel Pesah, Schabuoth, Sakkoth, quorum secundum et tertium cohaerere cum agricultura et originem inde

---

[1]) Σ 558 sqq.

[2]) „Diese Festart war bei den Spartanern sehr beliebt; wir finden sie auch bei den Hyakinthien und Tithenidien; sie ist den agrarischen Festen eigen" Nilsson p. 128.

duxisse expressis verbis docet Exodus 23 : 14, 15, 16. Kasir festum aestatis initio — quo secari solet triticum — agebant ruricolae [1]; Asiph, cuius nomen cum vindemia cohaeret, celebrabatur autumno: πανδημεί homines vineta intrabant umbrisque sub divo positis uvam legebant. Sed primum quoque festum, licet loco laudato non commemoretur, agricolarum fuisse ἑορτήν, effici potest e Deuter. 16 : 9; tunc enim falx hordeo immittebatur. Ritus autem huius diei festi cum ferret, ut hordei spicis aliquot Summo Numini oblatis homines quoque spicis leviter tostis vescerentur [2], volventibus saeculis nata est fabella quae legitur Exod. 23 . 15, homines hanc ob causam ἄρτοις ἀζύμοις uti solere, quod cum Aegyptum effugerent tempus cibi rite praeparandi iis defuisset. Mos igitur antiquus cum a posteris non amplius intellegebatur, nova quaesita est ratio qua explicari posset.

Idem autem de tertio festo die, Asiph, usu venisse docet Levit. 23 : 43. Ubi mori agricolarum vindemiae tempore umbras campis in apertis ponendi, ratio subicitur haec: maiores Aegyptum effugientes cum per deserta quaererent viam, Domini iussu talibus tabernaculis esse usos. Ramos autem frondescentes ubivis potius quam in desertis abundare, id minus curabant boni interpretes. Quod ad umbrarum ponendarum morem, recordare sis imaginis venustae apud Iesai. I : 8 : „Sionis filia velut casicula in vinetis relicta'' [3].

Sed de rebus hebraicis hactenus; qui plura velint adeant auctorem meum Wellhausen in libro classicis quoque philologis utilissimo, Prolegomena zur Isr. Geschichte.

Σκιάδες antiquorum Graecorum in Carneis positae eandem ni fallor habent originem atque Israelitarum illa tabernacula frondea. Meminimus Demetrii verborum: „*σκιάδες δὲ οὗτοι οἱ τόποι καλοῦνται σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν τι, καὶ ἐννέα καθ' ἕκαστον ἄνδρες*

---

[1]) Exod. 34 : 22.

[2]) Levitic. 23 : 14.

[3]) „Die Lauben ein Zubehör des alten Naturfestes den Laubhütten entsprechend welche bei uns auf Maitag, Pfingsten, neben dem Maibaum errichtet wurde. Später folgte die Umdeutung in Lagerzelte." Mannhardt Wald- und Feldk. II p. 254.

δειπνοῦσιν". Sunt *σκηναῖς* subsimiles; congruunt igitur prorsus cum casiculis de quibus apud Iesaiam fit sermo. Plus autem docet Pausanias III, 12, 8: „*ἑτέρα δὲ ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἐστιν ἔξοδος, καθ' ἣν πεποίηταί σφισι ἡ καλουμένη Σκιάς, ἔνθα καὶ νῦν ἔτι ἐκκλησιάζουσι*" (Spartae). Videtur fuisse *ναὸς θολοειδής*, qualis Athenis fuit *θόλος* illa, ubi prytanes cenabant; forma aedificii antiquissima Homeri etiam aetate usitata [1]).

Magni quoque momenti glossae sunt Hesychianae:

i. v. *Σκιάς*: „*ἡ ἀναδενδρὰς καὶ σκηνὴ ὠροφωμένη καὶ τὸ θολοειδὲς σκιάδειον ἐν ᾧ ὁ Διόνυσος κάθηται καὶ τὸ Πρυτανεῖον*".

i. v. *θόλος*: „*ὅπου οἱ Πρυτάνεις καὶ ἡ βουλὴ συνειστιῶντο καὶ τόπος ἐν ᾧ τὰ συμποτικὰ σκεύη ἀπόκειται*".

Cf. Harpocr. i. v.: *θόλος*: „*Ἀμμώνιος ἐν τετάρτῃ περὶ Βωμῶν γράφει ταυτί· ὁ δὲ τόπος ὅπου ἑστιῶνται οἱ Πρυτάνεις καλεῖται θόλος, ὑπ' ἐνίων δὲ Σκιάς*".

Denique Hesych. i. v. *σκιάδεια*: „*σκηνοπηγία· ἔστι δὲ τόπος ἐν ᾧ τὰ μειράκια ἐκαθέζετο*". Quod ad Carnea fortasse spectat.

Observarint mecum lectores *θόλον* vel *σκιάδα* apud lexicographos vocari locum, ubi vel epulantur homines vel supellex convivalis asservatur. Tholus igitur atheniensis et Scias laconica non modo ipsam *formam* servarunt casicularum, ubi vindemiatores capiebant cenam, sed eundem quoque ad *usum*, nempe ad epulandum, tam priscis quam historicis temporibus adhibebantur. Quod etiam clarius fit glossam Hesychianam *σκιάς*: *ἡ ἀναδενδράς* propius considerantibus. Quid enim est *ἀναδενδράς*? Nempe *vitis arbustiva*. Quid autem magis consentaneum quam sub ipsis vitis maritatae foliis densissimis, cum laboribus intermissis famem satiare vellent, solis ardorem effugisse priscos vindemiatores? Sic ab ipso deo cuius dona colligebant a nimio calore defendebantur.

Quid quod deus ipse tale sibi refugium quaerebat! Nam, ut Hesychius tradidit, *σκιάς* vocabatur etiam „*τὸ σκιάδειον θολοειδές ἐν ᾧ ὁ Διόνυσος κάθηται*".

---

1) χ 442. *Σκιάς* iam apparet Α 39 cf. Leeuwen. Mnem. XXXIV p. II 182.

Haec sunt quae de umbris veterum observare velim. Praebetne fortasse talis umbrae imaginem vas pictum quod a S. Reinachio ita est descriptum [1]: „Satyres vendangeant une treille de vigne"? Mensae positae sunt sub pampinis uvis abundantibus; dum absunt agricolae satyri ascenderunt in mensas vitesque fructibus sunt orbaturi.

V.

Supra vidimus in Carneis *σταφυλοδρόμους* (cf. *-δρόμας* C.I.G. 1387, 1388) iuvenes pampinos manibus tenentes persequi solitos fuisse hominem *στέμμασι περιδεδεμένον*, quo capto optima quaevis urbi augurabantur. *Σταφυλοδρόμοι* illi — quorum nomen satis superque indicat Carnea tum demum, cum e vita pastoricia in vinitorum transiissent, novis his caerimoniis aucta esse — eligebantur e Carneatidis, quorum fuit officium ut *τοὺς ἐπὶ τρύγῃ* incitarent. Unde statuere licet eum, quem sectarentur, hominem nimirum animalis vellere indutum, fuisse daemonem vindemiae propitium [2]. Nam captus optima quaevis praesagiebat, si vero aufugiebat, malum habebatur omen. Deinde cum ex Hesychio discamus Dionysum *'Ερίφου* cognomine adorasse Lacones [3], verisimile videtur Dionysum Haedulum, vel potius hominem qui huius dei partes agebat, persecutos esse *τοὺς σταφυλοδρόμους* [4]. Sic quatuor habemus numina quarum in Carneis aliquae partes erant: Carneum, *Σελήνην*, *Χθονίαν* (=*Ἑκάτην*, *Γῆν*), Dionysum. Eodem modo Phlyae in demo attico coniuncti erant *Διόνυσος*, *Γῆ ἣν Μεγάλην Θεὸν ὀνομάζουσι*, *Ἄρτεμις Σελασφόρος* [5]. Quartus

---

[1]) Répert. d. Vases peints T. II p. 24.

[2]) Cf. Nilsson o. l. pag. 121 sq.

[3]) Cf. *εἰραφιώτης* Hymn. Hom. 34, 2.
ἐρραφεώτας Alcaei fr. 90 B[4].

[4]) Cf. *Διόν. Κναγεύς; κνάκιον = τράγος*,

[5]) Paus. I, 31, 4.

accedebat Apollo, quem item in Carneis partes, neque minimas, egisse iam videbimus. Iterum citabo Pausaniam (III, 13, 3) sed nunc verbis plenioribus:

„ὁ δὲ Κάρνειος, ὃν Οἰκέταν ἐπονομάζουσι, τιμὰς εἶχεν ἐν Σπάρτῃ καὶ πρὶν Ἡρακλείδας κατελθεῖν, ἵδρυτο δὲ ἐν οἰκίᾳ Κρίου τοῦ Θεοκλέους ἀνδρὸς μάντεως. Κάρνειον δὲ Ἀπόλλωνα Δωριεῦσι μὲν τοῖς πᾶσι σέβεσθαι καθέστηκεν ἀπὸ Κάρνου γένος ἐξ Ἀκαρνανίας μαντευομένου δὲ ἐξ Ἀπόλλωνος· τοῦτον γὰρ τὸν Κάρνον ἀποκτείναντος Ἱππότου τοῦ Φύλαντος ἐνέπεσεν ἐς τὸ στρατόπεδον τοῖς Δωριεῦσι μήνιμα Ἀπόλλωνος, καὶ Ἱππότης τε ἔφυγεν ἐπὶ τῷ φόνῳ καὶ Δωριεῦσιν ἀπὸ τούτου τὸν Ἀκαρνᾶνα μάντιν καθέστηκεν ἱλάσκεσθαι. ἀλλὰ γὰρ Λακεδαιμονίοις οὐχ οὗτος ὁ Οἰκέτας ἐστὶ Κάρνειος, ὁ δὲ ἐν τοῦ μάντεως Κρίου τιμώμενος Ἀχαιῶν ἔτι ἐχόντων τὴν Σπάρτην".

Distincte hic Pausanias separat Carneum Oecetam, qui in vatis *Crii* Theoclis filii aedibus habitans ab *Achaeis* Laconicae dominis antiquissimis colebatur, a *Carneo Apolline* deo *Doriensibus* sacro, qui simul cum Heraclidis in Peloponnesum ingressus ob Carni vatis sui mortem postea a Doriensibus placari solebat. Monet nos iterumque monet Pausanias ne Κάρνειον cognomine Οἰκέτου appellatum cum Καρνείῳ Ἀπόλλωνι confundamus.

Iam statim intellegimus Spartae factam esse θεῶν σύγκρασιν, [1]) cuius exempla sescenta praebet mythologia antiqua; deum enim Apollinem in Carnei daemonis cultum insinuasse se atque ita, ut Carnei nomen sibi assumeret festumque postea daemonis appellativo indicaretur. Idem evenit Amyclis, ubi deum chthonium Hyacinthum expulit Apollo, unde ex illo inde tempore invocari solebat Apollo Hyacinthius. Vestigia autem illius invasionis apud Pausaniam etiam restant, nam „τοῦ δὲ Κρίου" inquit „γεμιζούσῃ τῇ θυγατρὶ ὕδωρ συντυχόντες κατάσκοποι τῶν Δωριέων αὐτῇ τε ἀφίκοντο ἐς λόγους, καὶ παρὰ τὸν Κρῖον ἐλθόντες διδάσκονται τὴν ἅλωσιν τῆς Σπάρτης" (l.l.). Suum autem Carneum ut a novo deo Apolline Carneo Lacones exinde distinguerent, illi addiderunt cognomen Οἰκέταν, quod minime significat *servum*,

---

[1]) Cf. Schoemann Gr. Alt. II 175.

sed talem, qui in ipsius familiae sinu obtineat locum, qui ad familiam pertineat, non alienigena. Sic Herodotus τὰ τέκνα καὶ τὴν γυναῖκα appellat οἰκέτας [1]).

Dorienses vero, simulac ipsorum Ἀπόλλων Νόμιος [2]) cum pastorum prisco numine Καρνείῳ coaluit, novam invenerunt, qua Carnei Apollinis nomen explicarent, rationem. Tradidit enim Theopompus, auctor tam Theocriti scholiastae quam Pausaniae, Carnum γένος ἐξ Ἀκαρνανίας μαντευόμενον δὲ ἐξ Ἀπόλλωνος interfectum esse ab Hippota Phylae filio; hac de causa Apollinem Doriensium exercitum pestilentia vexasse, donec vatem Acarnanem placarint sacrificiis, et ab illo inde tempore hunc morem in Peloponneso viguisse.

Perhibuit Wilamowitz Carnum illum Acarnanum esse eponymum, Dorienses autem cum diutius in regione quae Apollini sacra esset habitassent, deum Acarnanium secum novam in patriam duxisse [3]). Revera insula quaedam apud Acarnaniam sita ἡ Κάρνος appellabatur [4]), incolae eius οἱ Κάρνιοι, quod nomen in memoriam revocat τοὺς Κρανίους oppidulum tetrapolidis Cephallenicae [5]). Repperit autem Pausanias in via qua Sparta itur in Arcadiam Κρανίου τέμενος ἐπίκλησιν Στεμματίου [6]). Exstat quoque apud Bekkerum [7]): „στεμματιαῖον· μίμημα τῶν σχεδιῶν αἷς ἔπλευσαν οἱ Ἡρακλεῖδαι τὸν μεταξὺ τῶν Ῥίων πόρον" [8]) atque apud Hesychium s. v. στεμματιαῖον· „δίκηλόν τι ἐν ἑορτῇ πομπέων δαίμονος" [9]). Denique docet Schol. Theocr. V, 83 daemones illos fuisse: Iovem Ἀγήτορα et Apollinem. Unde apparet tempore

---

1) VIII, 106.

2) Cf. Ap. Rhod. IV, 1218.

3) Arist. u. Athen p. 25 et 44. Sed cf. Usener Rh. M. LIII 360; Gruppe Gr. M. p. 1231 et 1232 Ann. 1 ubi aliae explicationes.

4) Steph. Byz. i. v. Cf. Fick Vorgr. Ortsn. 135.

5) Thuc. II, 30, 2.

6) Paus. III, 20, 9.

7) Anecd. I, 305.

8) Sic scripsi; traditum est τόπον.

9) Proposuit O. Mueller legendum δαιμόνων. Nilsson: πομπεῦον pro πομπέων quod minus placet.

historico a Doriensibus actam esse *ἑορτήν* quandam nomine *Ἀγητορίων* [1]), in qua circumferebatur *ratis*, quali maiores suos usos esse perhiberent transmittentes sinum Corinthiacum Iove et Apolline ducibus. Fuisse hunc Apollinem *τῶν Καρνίων* eponymum, eamque ob causam postea in via, qua Spartam petivissent Dorienses, deo Carneo vel Cranio templum erexisse. Vulgo vero hunc deum *ἀπὸ τοῦ στεμματιαίου*, quod in pompa eius aspiciebatur, esse appellatum *Στεμμάτιον*. Hostiis autem quoniam Apollo ille *placari* solebat, res ut infra videbimus olim in Peloponneso minus vulgata et solita, ut novo huic mori substrueretur fundamentum historicum nata est fabella de Carno vate misere interempto sed ab Apolline vindicato. Carnium deum facile cum antiquo pastorum deo Carneo coaluisse atque inde Apollinem Carneum nasci potuisse, non multis, ut opinor, verbis demonstrari opus est. Quinimo *συγκράσεως* illius etiam exstare vestigia quamvis exigua suspicor, cum apud [Apollodorum] [2]) lego haec: „*ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς* (Doriensibus sinum traiicientibus) *μάντις χρησμοὺς λέγων καὶ ἐνθεάζων, ὃν ἐνόμισαν μάγον εἶναι ἐπὶ λύμῃ τοῦ στρατοῦ πρὸς Πελοποννησίων ἀπεσταλμένον*".

Videsne ut Carnus magus (i. e. revera Carneus deus) e Peloponneso Doriensibus eat obviam? Intellegisne cur [Apollodori] narratio procedat hoc modo: „*τοῦτον βαλὼν ἀκοντίῳ Ἱππότης ὁ Φύλαντος τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἡρακλέους τυχὼν ἀπέκτεινεν*"? cur Antiochus transfigatur, magus autem salvus abeat? Nempe deum quocum mox Apollo se erat coniuncturus, cuius nomen sibi asciturus erat, illum *interficere* non licebat Heraclidis Apolline duce navigantibus.

Pergit Pausanias: „*τὸν μὲν Ἱππότην ἐφυγάδευσαν*", cum Apollinem laesisset factusque esset *ἀλιτήμων, ἄτιμος*. Facile igitur credimus in *Ἀγητορίοις* hoc quoque episodion in scena esse peractum et fuisse aliquem, qui *Ἱππότου* — i. e. *τοῦ ἡγεμόνος* — ageret partes.

Operae nunc est pretium meminisse glossae Hesychianae,

---

[1]) Vid. Hesych. i. v.

[2]) II, 8. 3.

quae perperam, ut opinor, hucusque a v. d. est explicata: „ἀγητής· ὁ ἱερωμένος· ἄτιμος. ἐν δὲ τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερωμένος τῆς θεοῦ. καὶ ἡ ἑορτὴ Ἀγητόρια". Cuius glossae ultima verba κ. ἡ ἑ. Ἀ. viri docti ad unum omnes transtulerunt ad glossam: „ἀγήτωρ ὁ τῶν Ἀφροδίτης θυηλῶν ἡγούμενος ἱερεὺς ἐν Κύπρῳ"; necnon sequuntur Meursium τῆς θεοῦ mutantem in τοῦ θεοῦ; tum explicant: „ὁ ἱερωμένος τοῦ θεοῦ est Apollinis sacerdos."

At cum e scholio ad Theocr. V, 83 appareat Dorienses Peloponnesum esse ingressos ducibus Apolline et Iove Ἀγήτορι, iniuria, puto, nomen festi Ἀγητόρια — quam ἑορτήν Dorienses coniungebant cum Carneis — loco suo moverunt hodierni. Deinde velim explicent, quî sacerdos vocari possit ἄτιμος [1]). Videamus ipsi.

Quid est ἱερᾶσθαι? Explicat Schol. ad Thuc. V, 1: ἱερὸν ἀνακεῖσθαι τῷ θεῷ; unde effici licet τὸν ἱερωμένον esse ἱερὸν ἀνάθημα τοῦ θεοῦ, illum igitur cuius vita numini habebatur sacra, hominem piacularem, quales fuerunt φαρμακοὶ οἱ ἐν Θαργηλίοις. Sed idem est ἄτιμος, utpote crimini vero vel ficto cuidam obnoxius. Quare suspicor illum, qui in Agetoriis sustinebat τοῦ Ἱππότου τοῦ τῶν Δωριέων ἡγεμόνος partes, qui ob Carni caedem φυγὰς ἄτιμος ἐξηλάθη τῆς χώρας, a Doriensibus voce dorica esse appellatum τὸν ἀγητήν [2]). Cuinam autem numini sacer erat? „Nimirum Apollini!", exclamat Meursius, „scribamus igitur τοῦ θεοῦ". Speciem habet, non nego; sed cum recordor τὰ Κάρνεια proprie esse ludum τῶν κερασφόρων θεῶν, sub plenilunio actum, ubi Luna resplendens, cuinam praecipue honores deberentur, nulli non in mentem revocaret, ubi Apollo, ut ita dicam, recederet in umbram, equidem coniecturarum in rebus tam ignotis atque obscuris minime amantissimus, rogare velim, annon forte populus verbis: „ὁ ἱερωμένος τῆς θεοῦ" brevius significarit hominem, qui in Hecates ἑορτῇ Hippotae ferret personam [3]).

---

[1]) Carneorum sacerdos in Inss. semper indicatur nomine ἱερεύς.

[2]) Cf. Ζεὺς Ἀγήτωρ Spartae; Usener Rh. M. LIII p. 359 sq. Nunc quoque Nilsson „diesen Agetor dachte man sich dem ausziehenden Heere voranschreitend wie der Leithammel der Herde", pg. 123.

[3]) Usener l. l. cogitabat de Proserpina. Nilsson, p. 121[2].

Sed de hisce iam satis.

Doriensium Apollo, qui ultimus iuxta Lunam, Carneum, Chthoniam, Dionysum locum in Carneis obtinebat, audiebat *Apollo Carnus*, donec cum Carneo, coaluit, deinde *Apollo Carneus* factus est. Iniuria igitur Bergk [1]) apud Praxillam poetriam Sicyoniam, quae — ut vidimus supra — antiquissimum Achaeorum canebat deum, restituendum censuit *Κάρνος* pro *Κάρνειος*. Ille autem Apollo diem festum pastoricium — iam ab agricolis novis caerimoniis ad Dionysi cultum pertinentibus auctum — auxit novo more *τοῦ ἱλάσκεσθαι τὸν θεόν*.

Rectissime Rohdius olim observavit [2]) antiquos Achaeos, quales depicti sunt apud Homerum, caruisse diebus festis, qui germana voce appellari soleant *Sühnfeste*. Scripsit verba memoratu dignissima haec: „Die Ausbildung und wücherende Ausbreitung der in den homerischen Gedichten kaum in den ersten leichten Andeutungen sich ankündigenden Vorstellungen von überall drohender Befleckung und deren Beseitigung durch die Mittel einer religiösen Reinigungskunst, ist ein Hauptkennzeichen der angstbeflissenen über die Heilmittel des von den Vätern ererbten Cultus hinausgreifenden Frömmigkeit nachhomerischer Zeit". Ita est, nam qui homerica aetate quempiam necavit, pecunia data omni peccato absolvitur:

καὶ ῥ' ὃ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτόθι πόλλ' ἀποτίσας.

Quinimo Theoclymenus, licet Telemacho sacrificanti appropinquet φεύγων ἐξ Ἄργεος ἄνδρα κατακτάς, — nil enim solverat, — praesentia sua minime inquinat sacrificium. Primum exemplum hominis *ob caedem* lustrati exstat in opere posthomerico; fuit Achilles, qui Thersita interempto ab Ulixe Lesbi lustratur [3]). Quantum aberant haec tempora ab illis, quibus Athenienses caedis ab *aliis* perpetratae *nuntio* modo allato, se ipsos esse inquinatos putabant [4]). Lustrationum autem ritus, cum e Creta, Epimenidarum patria, ortus esse videatur — Apollinem ipsum

---

[1]) Poet. Lyr. III³ p. 568.
[2]) Psyche II p. 51.
[3]) Aethiopis, Wagner p. 242.
[4]) Plut. praec. ger. XVII p. 814 B.

Pythone interfecto Tarrhae in Creta ab Carmanore lustratum fuisse memorat Pausanias —, Apollinis imprimis religione propagatus in maiusque auctus est. Sic in Carnea quoque post Doriensium reditum mos insinuavit, qui deinde in dies magis invaluit, ut Apollinis iram Carni ob mortem conceptam, qua caede *omnes* maculatos se putarent, certis quibusdam sacrificiis avertere conarentur; neque iniuria, cum Apollinis ira manifestaretur pestilentia aestiva. Hanc ob causam legibus sancitum est ut *totus* populus sacris interesset exercitusque intra fines maneret; tum demum Hippotam, *φαρμακόν* illum, cui cottannis finibus interdicebatur, *omnium* Doriensium culpa onustum fugiturum credebant. Epulae vero, quibus antiquitus utebantur *omnes*, umbrae quas maiores ponere solebant *omnes*, non in desuetudinem quidem abierunt, sed a Doriensibus ita sunt minutae, ut noveni modo e singulis phylis iuvenes (*μειράκια* audiunt apud Hesych.) antiquum servarent morem, neque dubito quin quidquid militare in consuetudines festum agentium irrepserit, Doriensibus sit tribuendum. Ceteris fortasse epulae communes parabantur.

Sed Musarum quoque certamen cum Carneis coniunxerunt Dorienses, de quibus merito cecinit Alcman:

ἕρπει γὰρ ἄντα τῷ σιδάρῳ τὸ καλῶς κιθαρίσδειν.

Tradidit enim Athenaeus [1]: „*τὰ Κάρνεια πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις Καρνειονίκαις καὶ ἐν τοῖς καταλογάδην*". Secundum Eusebium [2] *ὁ κιθαρῳδῶν ἀγών* anno demum 676 a. C. n. est institutus; haud dubie et ante huiusmodi fuerunt certamina, sed credo Eusebium rettulisse illum annum, quo victor evasit Terpander.

Primarium autem locum inter carmina solemnia, quae ibi audiebantur occupasse videtur elogium Alcestidis amoris Admetique erga Apollinem hospitalitatis. De Alcestidis quidem elogio constat ex Euripidis versibus supra allatis. De Admeto, ut idem censeamus, his movemur argumentis. Primum inter Praxillae *παροίνια* invenitur scolium notissimum:

---

[1]) XIV 635 E. [2]) Euseb. Chron. I 198.

Ἀδμήτου λόγον, ὦταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει·
τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγη χάρις [1]).

Fuit autem, ut vidimus, Praxilla Sicyonia, qua in urbe Carnea magno fruebantur honore, cecinitque ipsa deum Carneum.

Deinde etiam maioris pretii est inscriptio Theraea aetatis Romanae, quae in Kaibeli exstat Epigramm. graec. [2]): „*ὁ δᾶμος ἀφηρώιξε καὶ ἐτείμασε τὸν ἱερῆα Ἀπόλλωνος Καρνήου διὰ γένους Ἄδμητον Θεοκλείδα πάσας ἀρετᾶς ἕνεκα καὶ σωφροσύνας*". Sequuntur verba haec:

οὐ μόνον ηὐχόμην Λακεδαίμονος ἐκ βασιλήων,
ξυνὰ δὲ Θετταλίης ἐκ προγόνων γενόμην·
σώζω δ' Ἀδμήτου κατ' ἴσον κλέος, ὡς ὄνομ' ἔσχον.
εἰ δὲ δύω λείποντα τριηκοστοῦ ἔτεός με
Θευκλείδα πατρὸς νόσφισε μοῖρ' ὀλοή,
τετλάτω ὡς Πηλεὺς ὡς προπάτωρ τε Φέρης.

In eundem Admetum elogium continet altera inscriptio Theraea [3]), quae post idem exordium pergit:

εἴ τι παρ' Αἱμονιεῦσι γένος πολιοῖο Φέρητος,
εἴ τι παρ' Εὐρώται 'κόμπασαν Οἰβαλίδαι,
ἀνδράσιν ἐν προτέροις καθαρώτατον, οἳ βασιλήων
παῖδες καὶ μεγάλων ἦσαν ἀπ' ἀθανάτων·
τοῦτο λαχὼν Ἄδμητος ἴσον πινυτῆτι καὶ αἰδοῖ
μοῖραν ἀνέπλησεν ῥιγεδανοῦ βιότου.

Denique C. I. G. II n. 2467 paulo copiosius de Admeti parentibus agit titulus hic: „*Θευκλείδας Ἀδμήτου καὶ Νικόλα Κρισάμιος τὸν αὐτῶν υἱὸν Ἄδμητον Ἀπόλλωνι Καρνείῳ*". Suspicamur igitur fuisse gentem Theraeam, in qua per totam antiquitatem *τοῦ Καρνείου* sacerdotium nomenque Admeti fuerit hereditaria. Praeterea, cum nomen *Θευκλείδας* statim in mentem nobis revocet *Θεοκλέα τὸν Κρίου* patrem, apud quem *ὁ Οἰκέτας Κάρνειος* Spartae refugium invenerat, constat hanc gentem fuisse unam ex Achaeis, Laconicae incolis antiquissimis, antedoriensibus. Cumque Admetus noster a maioribus, qui claro fruerentur in Thes-

---

[1]) Vesp. 1238 c. Schol. [2]) p. 70 n. 192. [3]) Ibid. p. 96 n° 191.

salia nomine ac fama, se descendere perhibeat, non sine probabilitate contendemus vetustissimos illos Laconicae incolas, quos hucusque Achaeorum indicavimus nomine, fuisse revera gentem Thessalicam, fortasse Minyas. Thessalica igitur fuit natio, quae navibus suis Graeciae litora legens, tandem in Laconiam appulsa condidit coloniam deosque suos importavit. Sic Admetus Pheris venit Spartam.

Nunc intellegimus, cur maritimis praesertim in urbibus Carnei inveniatur cultus; cur in Sicyoniam via fortasse terrestri penetraverit e Thessalia, sedibus Minyarum antiquissimis.

Sed ne celerius agere videamur, Pindari volvamus carmen Pythicum quintum, ubi legimus vss. 73 sqq.

τὸ δ' ἐμὸν γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος·
ὅθεν γεγενναμένοι
ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεΐδαι,
ἐμοὶ πατέρες, οὐ θεῶν ἄτερ, ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν.
πολύθυτον ἔρανον
ἔνθεν ἀναδεξάμενοι,
Ἄπολλον, τεᾷ
Καρνήϊ' ἐν δαιτὶ σεβίζομεν
Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν.

i. e. „meam gloriam omnes e Sparta esse perhibent, unde orti Aegidae patres mei non sine deorum auxilio Theram venerunt. Nam fatum eos duxit. Thera autem ex insula Cyrenam hoc more tralato cenam collaticiam agentes lautis, o Apollo, epulis urbem nostram celebramus." [1]).

Quis hic loquitur? Dissentiunt v. d.; sunt enim — in quorum numero signiferum agit Boeckh — qui putent *poetam* de se ipso facere verba, ut ex Aegidarum gente ortum se esse coram omnibus pronuntiet; quibus oblocuti Hermannus et alii verba laudata *choreutis* de se ipsis loquentibus impertiunt. Equidem nullus dubitans Hermannum sequor. Faciamus enim Aegidam fuisse Pindarum, tunc procul dubio fuit ex Aegidis Thebanis.

---

[1]) Cf. Luebbert de Carn. et Aegid. Progr. Bonn. 1883.

Sed quomodo *Thebanus* poterat dicere: „τὸ δ' ἐμὸν γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος"? nam licet — ut perhibet Herodotus — Aegidae nonnulli Thebis profecti Spartam petiverint indeque Theram et Cyrenam navigarint, Pindaro profecto, cuius maiores *Thebis* manserant, id nulli poterat esse honori. Accedit quod qui dicant: „ἔνθεν ἀναδεξάμενοι ἔρανον Κυράνας πόλιν σεβίζομεν", nulli alii quam *Cyrenae incolae* esse possint; neque id fugit Boeckhianos, qui ad incitas redacti statuerunt — sed parum probabiliter — quo tempore festum Arcesilai in honorem ageretur Pindarum Cyrenam visitasse [1]).

Attamen inficiari non possum Pindari nomen, ceteroquin rarissimum, tribus inscriptionibus Anaphae in insula Therae vicina repertis esse traditum [2]); fieri igitur potuisse ut Cyrenae quoque Pindari affines aliquot habitarent.

Sed missis his controversiis, licet minime nos doceat poeta Aegidas fuisse, qui Thera profecti Carnea transtulerint Cyrenam, tamen hanc opinionem nequaquam ut absurdam reicere velim (vide verba ἐμοὶ πατέρες!).

Utut id est, credimus Carnei patriam esse quaerendam in Boeotia et *Thessalia*, quibus in regionibus olim sedebant Minyae [3]).

Nil, credo, obstat quin quomodo rem mihi proponam paucis indicem verbis.

Pheris antiquitus gregum daemon ithyphallicus iuxta Brimo, deam Artemidi simillimam, colebatur. Daemon autem ille — posteri Mercurium vocabant — Brimo e regis inferorum potestate ereptam in lucem reduxerat; nam etiam introitus ad Orcum Pheris erat, ubi ovibus mactatis animae mortuorum evocari poterant [4]).

---

[1]) Cf. Studniczka Kyrene p. 76, 77. Cui obloquitur Gaspar Essai de Chronologie pindarique p. 148.

[2]) C. I. G. 2480, b, d.

[3]) Cf. Gruppe Gr. M. 1493, annot. 3. Nilsson l. l. p. 128, qui calidius hic ratiocinatur.

[4]) Callim. fr. 117. Prop. II, 2, 11. Cic. D. N. D. III 22. Gruppe G. M. 118, ann. 2; 1322, ann. 1.

ἈϜίδης ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος [1]) ibi audiebat Admetus; Brimo forte *Ἀδμήτου Κόρη* [2]).

Habemus in nucleo non modo Alcestidis fabulam euripideam, sed id quoque perspicimus, par illud deorum, Brimo et Mercurium, *Φεραῖς ἐν πολυρρήνοις* — ubi regnabat rex *Εὔμηλος* [3]) — honoratum, revera esse *τὸν Κριοφόρον θεόν* et *Ἄρτεμιν κερασφόρον*, vel potius Deum Cornigerum et Deam Cornutam, numina igitur *Κάρνεια*. Qua autem veneratione numina illa fruebantur inter pastores Peloponnesiacos, eadem in Thessalia afficiebantur a Pheraeis.

Cum vero appareat Alcestin ab heroe quodam *Θανάτῳ* ereptam et Brimo a daemone ex inferis in lucem reductam unam eandemque esse deam, neque ab Hecate diversam, clarum fit nexu interiore Alcestin cum Carneis esse coniunctam, Alcestidis laudes Carneorum fuisse partem sacram.

Admetus autem, qui in mytho antiquissimo iuxta Brimo et Mercurium partes agebat haud exigui momenti, in Carneis exuit tam daemonem quam regem factusque est *sacerdos*, *ὑπηρέτης τῶν θεῶν*. Miserrima profecto usus est sorte *ἄδμητος* ille, cuius divinitatis memor postea erat nemo, cuius potestatis regiae *ἐν παροινίοις* modo meminerant homines!

[1]) Hom. I 158.
[2]) Hesych. i. v.
[3]) Hom. δ 768.

DE EUGAMMONIS CYRENAEI

TELEGONIA.

DE EUGAMMONIS CYRENAEI
TELEGONIA.

Rampsinitus rex Aegypti cum tantas divitias coacervasset quantae nulli post eum contigerunt principi, ut ingentem illam vim argenti tutam a praedonibus servaret, cellam lapideam a perito architecto aedificari curavit. Hic autem vafer homo parietem externum ita exstruxit, ut unus lapis facile extrahi posset, quo remoto introitus clandestinus in thesaurum regalem pateret. Cum in eo esset ut moreretur, duobus filiis aditum secretum indicavit, quo prudenter usi reliquam vitam curis vacuam degerent, quippe qui essent *ταμίαι τῶν βασιλέως χρημάτων*. Rex vero, cum cottidie opes suas imminui videret et quomodo surripi possent miraretur, decipulam posuit, qua mox alter frater haesit. Qui cum expedire se nequiret, fratrem caput sibi praecidere iussit, ne ipse agnosceretur illumque simul perderet. Quo tristi officio functus frater aufugit caput amputatum secum portans. Cetera huius historiae ab Herodoto (II, 121) lepide narratae cum minus ad rem meam faciant mitto, paucis modo verbis de narrationis fine adiectis; nempe regem filiam suam uxorem dedisse furi, qui, cum Aegyptii ceteros mortales astutia superarent, Aegyptiorum omnium vaferrimus esset repertus.

Similis narratio invenitur apud Pausaniam (IX, 37, 4 sqq.), qui Callippum Orchomenium auctorem adhibuit secundum Robertum (Commentat. Momms. 145). Legimus enim Trophonium

et Agamedem, *filios Ergini regis* Orchomeniorum, architectos celeberrimos regi vicino Hyrieo thesaurum aedificasse, et eum eodemmodo esse depeculatos; tandem Agamedem decipula vel *alia quadam machina* (πάγας ἤ τι καὶ ἄλλο) captum esse; deinde Trophonium *proprio motu* fratri caput praecidisse, ne hic ignominia afficeretur ipse vero conscius appareret; quo facto prope Lebadeam terra scissa devoratum eum esse.

Tertium mythum subsimilem tradidit Charax sacerdos Pergamenus, qui non multo ante Pausaniam sed post Neronem vixit. Traduntur enim in Schol. ad Nub. vs. 508 haec: „Agamedes *archon Stymphali* Arcadiae urbis in matrimonium ducit Epicasten, cui filius σκότιος erat Trophonius. Hic cum vitrico thesaurum aedificat regi Elidis Augiae, quem deinde eo quem audivimus dolo usi despoliant, comite adhibito Cercyone iuvene ex Epicastes et Agamedis iustis nuptiis nato. Sed Daedali auxilio, qui forte ad Augiam deverterat, illaqueatus est Agamedes; Trophonius autem mortuo caput desecuit et cum Cercyone fugit Orchomenum. Quos cum Augias Daedalo monente persequeretur πρὸς τὴν τῶν αἱμάτων ἔκλυσιν, Cercyon Athenas evasit, Trophonius Lebadeam, ubi in spelunca usque ad mortem vixit; mortuus quasi deus colitur."

Quid sibi velint verba πρὸς τὴν τῶν αἱμάτων ἔκλυσιν, non video; nam Augias, rex spoliatus, non erat is, qui mortem praedonis vindicare deberet vel interemptorem ad piaculum lustrandum cogeret. Offendit quoque plurale αἱμάτων; quare propono πρὸς τὴν τῶν χρημάτων ἔκδοσιν.

Fuit haud dubie eiusmodi fabula, quam insculptam fuisse cratera, qua Polyxenus Augiae nepos Ulixem donavit, legimus apud Proclum in Chrestomathia; sunt verba haec:

„Τηλεγονίας βιβλία δύο Εὐγάμμωνος Κυρηναίου περιέχοντα τάδε· οἱ μνηστῆρες ὑπὸ τῶν προσηκόντων θάπτονται, καὶ Ὀδυσσεὺς θύσας Νύμφαις εἰς Ἦλιν ἀποπλεῖ ἐπισκεψόμενος τὰ βουκόλια, καὶ ξενίζεται παρὰ Πολυξένῳ δῶρόν τε λαμβάνει κρατῆρα, καὶ ἐπὶ τούτῳ τὰ περὶ Τροφώνιον καὶ Ἀγαμήδην καὶ Αὐγέαν" κ.τ.λ.

E tribus his narrationibus quae prima sit orta atque apud

quem populum, utrum ex Aegypto in Graeciam sit importata an e Graecia profecta late vagans in Aegyptum penetrarit, dubia res est et varie varii de ea disputarunt viri docti et disputant. Sunt etiam qui orientalis originis indicia in fabula Herodotea inveniri perhibeant; historiam enim versuti architecti in literis Sanscriticis, apud Turcas, apud Russos esse notam. Nos hanc partem quaestionis certis terminis circumscribemus; mittimus rogare num e longinquiore fortasse regione sive in Aegyptum sive in Graeciam venerit fabula, hoc modo scire cupientes sitne per Aegyptum invecta in Graeciam an per Graeciam in Aegyptum, an — nam tertium quoque datur — similes in Graecia et in Aegypto notae fuerint narrationes, sive ex Oriente et huc et illuc illatae sive in ipsis illis regionibus sponte exortae.

Nam licet libenter concedamus C. O. Muellero (Orchom. I p. 88), nihil obstare quominus haec fabula origine indo-germanica fuerit, tamen non videmus, cur Masperonem ducem sequi recusemus suo iure originem aegyptiacam ei tribuentem (Cont. XXXIX sqq.). Neque nescimus Steinium Herod. I[3] p. 186 annotasse fabellam origine non aegyptiacam videri, lepidum enim illum furem militibus, qui fratris corpus custodirent, barbam dextram rasisse dici, Aegyptios vero barbam non aluisse; sed adversarium idoneum hic invenit A. Wiedemannum (Herodots zweites Buch mit sachlichen Erläuterungen 1890), qui annotavit iam regem Amenophim IV milites barbatos habuisse stipendiarios, Libyos vero conducticios inde a dynastia XIX[a] barbatos in imaginibus apparere, necnon Herodoti tempore hunc morem in exercitu Aegyptiorum valuisse. Idem Aegyptologus alia quoque docet, quibus uti potest, qui originem Aegyptiacam nostrae fabulae defendere studeat. Nam cellae occultae, quales depingit Herodotus, ibi plurimae sunt repertae, quas intrare nisi lapide remoto nemo poterat; vetus quoque textus superest, cuius est interpretatio haec: „Krypta profanis est ignota; qui ianuam quaeret non inveniet praeter deorum prophetas." Mos quoque obsignandorum locorum, quae inire non licebat, per Aegyptum

erat vulgatus. Fures autem, ut de rege Amasi taceamus, magno ibi in honore fuisse vel hinc patet, quod in Aegypto exstitit certus ordo praedonum, cui praefectus praeerat, qui bona surrepta possessoribus redderet, si quartam pretii partem furibus solvissent.

Sed hac de re iam satis est; nunc videamus et perpendamus, quae ab auctoribus praesertim recentioribus de nostra fabula sint prolata. Inter quos, qui primarium locum occupat, C. O. Mueller sic ratiocinatur (Gesch. Hellen. Stämme u. St. I p. 98): „antiquissimo tempore colonia Minyarum Orchomeno profecta in Triphylia consedit ibique septem urbes occupavit Eleis vicinas nec dubitari potest, quin ab hisce colonis historia de furto a Trophonio et Agamede in *Hyrieum* commisso translata sit in *Elidis regem Augiam*. Quae colonia, cum in Triphylia consederit uno alterove saeculo post immigrationem doricam, fabula quoque *tunc temporis* translata fuerit necesse est; unde sequitur hanc narrationem Graecis notam fuisse antequam melius iis innotuerit Aegyptus."

Pergit v. d. p. 101: „statuamus igitur lepidam fabellam tunc demum in Aegyptum esse transvectam, cum regio illa sub regibus Saiticis graecis moribus imbueretur; cum vero semel in annales regios irrepsisset, esse pervulgatam a sacerdotibus interpretibusque qui coram peregrinis Aegypti gloriam quoquomodo augere cuperent." Deinde p. 103: „Psammetichus Iones stipendiarios in intimam partem imperii duxit, qui pueros aegyptios linguam graecam docerent; ex his pueris genus illud interpretum est ortum a quibus peregrini mythos aegyptios acceperunt. Ducentis annis post Herodotus venit in Aegyptum; quid mirum si fabellae graecae, quas milites illi discipulos suos docuissent, tunc penitus in Aegyptiorum mentes penetrarant atque a sacerdotibus bono Herodoto pro meris Aegyptiacis sunt venditae."

Muelleri opinio, quam alii v. d. [1]) pro maiore parte sunt

[1]) Gutschmid Philol. X p. 654; Dümmler Ann. d. Instit. 1885 p. 130 sqq.; Studniczka Kyrene p. 6; Svoronos Gaz. Arch. 1888 XIV p. 257 sqq.

amplexi, cum ob ipsum auctorem tum ob argumenta, digna est quae accuratius perpendatur. Minyarum coloniam Orchomeno profectam in Triphylia consedisse docet vel nomen fluvii Minyei (Λ 722), quod Strabo (VIII, 347) probabiliter admodum a Minyis, qui ex Orchomeno Minyeio cum Chloride Nestoris matre in Peloponnesum immigrarunt, deducit. Nestoris vero patriam fuisse Pylum *Triphyliae*, nemo negabit, qui in Muelleri libro (p. 364) perlegerit disputationem de bello cum Epeis acto, e libro undecimo Iliadis noto. Quis, ut unum argumentum afferam, credat pecus, quod in Elide coegerant Pylii, *una* nocte in urbem Messeniacam agi potuisse (cf. Λ 683 sq.)?

Hi igitur Minyae lepidam narrationem de rege Hyrieo secum e patria attulerunt et in Triphylia pro nomine Hyriei illud Augiae posuerunt. Esto. Sed cur fecerunt? Cur in Triphylia potius volebant narrare, quomodo Augias quam quî Hyrieus esset spoliatus? Nemo non respondebit: quoniam in Elide easdem partes adversus eos agebat Augias, quibus Hyrieus in Boeotia semper erat functus. Erat enim uterque Minyarum hostis perpetuus, hostis opibus abundans. Significare igitur hoc mytho volebant Minyae Augiam, licet opibus praevaleret, ingenio certe ipsis esse imparem, quemadmodum furtum a Trophonio in Hyrieum commissum celebrarat maius ingenium, acriorem sagacitatem Orchomeniorum. Nam fabula de Trophonii astutia magis reconditum quidem primitus habuerat sensum, sed iuxta hanc significationem, quam ipsa naturae phaenomena praebebant, inventa est alia, quae populo pedetemptim a mythis physicis alienato et ad rationalismum propenso satisfacere posset. Qui enim erant architecti illi Orchomenii; quid sibi volebat Hyriei illa gaza? Thesauri e cella subterranea protracti proprio sensu erant fruges, quas mortales arte ac labore terrae e gremio sibi parabant; Trophonius vel Trephonius ab origine erat deus aliquis fertilitatis, qui post longam siccitatem, ut pluviam mitteret, ab hominibus rite orabatur. Mox Clymenus (i. e. Ζεὺς Κλύμενος vel Περικλύμενος) avum eius repraesentabat, ipse Trophonius antiquo nomine servato vates fiebat, tertius Agamedes (i. e. sagacissimus)

indolem prudentem τοῦ χθονίου θεοῦ indicabat; deinde e dis mutati in reges mythicos (ut Amphiaraus ille) a poeta quodam seriei regum Orchomeniorum sunt inserti, ut apparet inspecto Pausania IX, 37, 4. Narrat enim periegetes regem Orchomenum, Minyae filium, *progeniem non reliquisse, imperium igitur transisse* in Clymenum oriundum ex Athama Laphystii rege; post mortem vero Trophonii et Agamedis *iterum transisse regnum in novum genus* ortum e Marte deo. Idem fortasse poeta quartum heroem invenit Erginum, patrem Trophonii et Agamedis, nec obscurum videtur, quare eum crearit. Qua de re paulo fusius mihi agendum est, cum ipsum huius quaestionis cardinem tangat.

Inde a tempore antiquissimo Trophonius et frater structores periti videntur esse habiti; scriptores tamen, qui ante Pausaniam vixerunt, mirum de ea re servant silentium. Hymn. Apoll. vs. 296 legimus quidem:

λάϊνον οὐδὸν ἔθηκε Τροφώνιος ἠδ' Ἀγαμήδης
υἱεῖς Ἐργίνου, φίλοι ἀθανάτοισι θεοῖσιν [1]),

ubi de solo lapideo in Apollinis Delphici sacro sermo fit, sed neque Herodotus, licet duobus locis (I, 46, 12; VIII, 134, 3) oraculum Trophonii cemmemoret, licet uberrimus sit in narratione de thesauro Rhampsiniti, quae homini vel maxime oblivioso historiam de *architecto* Trophonio in memoriam revocare deberet, neque tragici ullum verbum de *hac* Trophonii Agamedisque peritia dicunt. Euripides tantummodo loquitur (Ion. vs. 300) de σηκοῖς Τροφωνίου, i. e. de sacro loco. Comici quoque, qui vehementer in vanitatem huius superstitionis invecti sunt [2]), de arte aedificandi οὐδένα λόγον. Suspiceris fere totam antiquitatem versuum Apollinis Hymni fuisse oblitam usque ad scholiastam, qui Nub. 508 observat: „(Τρ. καὶ Ἀ.) τὸν ἐν Δελφοῖς Ἀπόλλωνος ναὸν ἠργολάβησαν". Dixeris Trophonum Graecis Periclis aetatis merum vatem fuisse, quinimo audacius conieceris versus lau-

---

1) Cf. Allen-Sikes The hom. Hymns ad loc.

2) Vid. ap. Meinekium fragm. Cratini, Cephisodori, Alexidis, Menandri s. v. Trophonius.

datos sero in hymnum esse illatos vel totam hymni partem, quae de deo pythico agat, Cynaetho (*Κύναιθος Χῖος, ὃς τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραμμένον ὕμνον λέγεται πεποιηκέναι* Schol. Pind. Nem. II, 2) esse recentiorem [1]. Sed Pindarus secundum scholium quoddam recentiore tempore inventum tantam audaciam repellit. Scripsit enim Rohdius in Philologo XXXV p. 199 haec: „Im Codex Palatinus 73 der vaticanischen bibliothek findet sich zu Lucians Dial. Mort. III zuerst ein Scholion, welches mit Schol. G. bei Reitz I, p. 338, 11 übereinstimmt. Dann heisst es aber im Palatinus weiter: *τοῦτον γὰρ τὸν Τροφώνιον καὶ τὸν ἄλλον* (ecquid *καὶ τὸν Ἀγαμήδην?*) *μέμνηται Πίνδαρος ἐν τῇ ᾠδῇ τῶν Ἰσθμιονικῶν τῇ εἰς Κασμύλον Ῥόδιον πύκτην· ἱστορεῖ δὲ οὕτως· ὁ δ' ἐθέλων τε καὶ δυνάμενος ἁβρὰ πάσχειν τὰν Ἀγαμήδεϊ Τροφωνίῳ θ' ἑκαταβόλου συμβουλίαν λαβών· ὁ δὲ τὴν περὶ ταῦτα φράσιν συντάξας λέγει οὕτως*.... cetera desunt."

Optimo iure Rohdius observavit verba *ὁ δ' ἐθέλων — λαβών* ipsius Pindari fuisse, confert autem Plutarchi verba in Cons. ad Apoll. 14: „*καὶ περὶ Ἀγαμήδους δὲ καὶ Τροφωνίου φησὶ Πίνδαρος, τὸν νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς οἰκοδομήσαντας αἰτεῖν παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος μισθόν· τὸν δ' αὐτοῖς ἐπαγγείλασθαι εἰς ἑβδόμην ἡμέραν ἀποδώσειν, ἐν τοσούτῳ δ' εὐωχεῖσθαι παρακελεύσασθαι, τοὺς δὲ, ποιήσαντας τὸ προσταχθὲν, τῇ ἑβδόμῃ νυκτὶ κατακοιμηθέντας τελευτῆσαι*". (Cf. Cic. Tusc. I, 47, 114).

Apparet igitur Pindaro fabulam de primo Apollinis Delphici templo vel adyto a fratribus Trophonio Agamedeque constructo fuisse notam, sive ex hymno, sive ex ampliore mytho; apparet eundem poetam hunc mythum cecinisse in oda Isthmiaca, non ut putabat Bergk Lyr. p. 295 in *Θρήνοις*. Sed oda illa parum, quantum quidem scimus, profuit Trophonii famae; certe Euripides, qui in Ione Delphicum templum fuse describit, de Trophonii opera in eo condendo allata plane silet, licet Trophonium *vatem* ter (vs. 300, 393, 405) in ea fabula nominet.

---

[1]) Vid. Die Homerischen Hymnen Gemoll p. 114: „Oder sollte der sogenannte pythische Hymnus erst nach Thucydides fallen?"

Primi qui post Pindarum in literis superstitibus nomina amborum Orchomeniorum cum sacro Apollinis coniunxerunt hymnique versus in memoriam revocarunt, sunt scholiasta Alexandrinus in Aristophanem, Strabo (IX, 421), Plutarchus l.l., Pausanias (X, 5, 13), Steph. Byz. s. v. *Δελφοί*; admodum igitur seri auctores.

Sed fama deorum architectorum licet Herodoti Platonisque temporibus in tenebras recessisse videatur, floruit ante Pindarum, *non tamen per totam Graeciam*, sed in vallibus absconditis Boeotiae, in Arcadiae loco remoto montibusque saepto. Thebis exstabat Amphitryonis domus cum Alcmenes thalamo, quem *ἐποίησε Τροφώνιος ἠδ' Ἀγαμήδης* (Paus. IX, 11, 1); in vicinia Mantineae *Ποσειδῶνός ἐστι τοῦ ἱππίου τὸ ἱερόν*, quod *Ἀγαμήδης λέγονται καὶ Τροφώνιος ποιῆσαι, δρυῶν ξύλα ἐργασάμενοι καὶ ἁρμόσαντες πρὸς ἄλληλα* (Paus. VIII, 10, 2); antiquissimum igitur exemplum delubri e trabibus confecti, quod Hadriani cura novo templo lapideo circumdatum seris saeculis speciem praebuit vetustissimae aedificandi artis.

Quae fama Trophonio unde venerit, quis dixerit; fortasse originem duxit e singulari structura speluncae, quam deus Lebadeae non modo habitasse, sed etiam construxisse dicebatur. Nam *subterranearum* praesertim cellarum aedificandarum peritus esse ferebatur [1]). Utut id est — et nunc tandem ad propositum revertimur — nomen *Ἐργίνου* utpote ab *ἔργον* derivatum tunc demum cum Trophonio coniunctum et seriei regum Orchomeniorum insertum esse videtur, cum Trophonius iam vulgo ut architectus celebraretur. Tunc Daedali cum iis coniunctum est nomen, quem prope antrum Lebadeae statuam posuisse — priscae religionis documentum — apud Pausaniam (IX, 39, 8) legimus.

Observavimus deum frugum altorem [2]) praeditum fuisse arte

---

[1]) Cf. Dioscuros, tam ob artem aedificandi quam ob illam vaticinandi.

[2]) *τρέφειν*. Memoriam huius dei servat Pausanias IX, 40; 1: cum enim Boeotia diu pluvia caruisset et incolae Apollinem remedium rogarent, *προσέταξεν ἡ Πυθία παρὰ Τροφώνιον ἐς Λεβάδειαν ἐλθοῦσιν εὑρέσθαι παρὰ ἐκείνου τὸ ἴαμα.*

futura praedicendi incitatum vi illa terrae quae Pythiae quoque mentem divino afflatu concitabat [1]). Nam sicut ceteri dii chthonii oracula edebant vel potius sopitis insusurrabant, sic Delphis ipsis ante Apollinis adventum fuit *μαντεῖον χθόνιον*, quod

ποικιλόνωτος οἰνωπὸς δράκων
σκιερᾷ κατάχαλκος εὐφύλλῳ δάφνᾳ
γᾶς πελώριον τέρας ἄμφεπε [2]).

Trophonii autem oraculum mansit quod initio fuerat ac per omnia saecula *incubatione* futura praesagiebat, Apollinis vero sacrum Dionysi cultum ecstaticum in se recepit et responsa dabat *vigilantibus* per sacerdotem instinctu divino furentem [3]). Admirationem certe movet constantia Trophonii cultus; nam fuerat aequalis illius Aesculapii, quem Thessali Triccae locis subterraneis implorabant, saeculo autem Hadriani immutatus imminutus etiam apud Graecos et barbaros vixit floruitque [4]). Agamedem autem et Trophonium heroes factos et ob artem aedificandi apud Orchomenios celebratos a Minyis in Triphylia quoque esse cultos, nihil obstat quominus credamus. Atque hanc quoque ob causam cum Augiae nomine in nota fabula coniunctos eos esse arbitror, ut illustraretur Minyarum ingenium magis acutum, quo invisus ille Augias lepidissime esset fraudatus et ludificatus. Quae enim alia causa Minyas permovere potuit, ut nomen Hyriei cum Augiae mutarent? At Agamedes et Trophonius illi, qui Augiam deceperunt et heroes Orchomenii, *qui deluserunt Hyrieum*, idem non fuerunt! Teste enim Charace [5]) *Ἀγαμήδης ἄρχων Στυμφήλου τῆς Ἀρκαδίας ἐγάμει Ἐπικάστην*,

---

[1]) Cicero, de Divin. I § 88.

[2]) Iphig. Taur. 1245.

[3]) Cf. Rohdium Psyche II 59.

[4]) Neque comicorum insectationes ad vim huius religionis minuendam quidquam valuisse, neque Dicaearchi *κατάβασιν εἰς Τροφωνίου* eius auctoritati nocuisse, docet C. O. Mueller Orch. I p. 151, qui laudat oracula data de exitu pugnae Leuctricae, de morte Philippi, de victoriis Sullae; necnon commemorat ludos publicos aetate Hadriani Lebadeae habitos, et oracula de civitate romana, quae Eutychides in unum volumen collecta a Tr. accepisse dicebatur.

[5]) Schol. Nub. 508.

ἧς παῖς ἦν Τροφώνιος σκότιος. οὗτοι ἐν Ἤλιδι ταμιεῖον χρυσοῦν (?) κατεσκεύασαν Αὐγείᾳ — ἔκλεπτον τῶν χρημάτων ἅμα Κερκυόνι, ὃς ἦν γνήσιος Ἀγαμήδους καὶ Ἐπικάστης υἱός. Agamedes igitur *Stymphalius* cum *privigno* Trophonio et Cercyone scelus commiserunt. Quid autem Minyis cum rege Stymphali, urbis procul a Triphylia in Arcadiae parte orientali sitae? Quid Minyis cum Trophonio illo *non legitimo coniugio orto?* Haud enim verisimile videtur Minyas *Triphyliam* incolentes finxisse mythum in quo *Stymphalius* rex, *alienae* igitur gentis homo e regione quam maxime remota, *regi Elidis* thesaurum aedificasse diceretur. Nam quo consilio *suum* Trophonium cum filio spurio obscurae cuiusdam reginae, Agamedem *suum* cum ignoto rege urbis procul absconditae mutassent? Gloria autem quanam *Minyae* poterant affici, si *Arcas* quidam *Eleum* spoliaret? Immo hae mutationes, mentio Daedali forte fortuna apud Augiam degentis, produnt seriorem *μυθοποιόν*.

Quis autem fuerit ille dubium esse non potest, cum ex Proclo constet Eugammonem Cyrenaeum in Telegonia hanc fabulam Augiae tractasse; ab hoc, opinor, Charax postea materiam suam mutuatus est. Antequam vero efficere conemur, unde Eugammon argumentum petierit et cur Cyrenae potissimum Trophonii historia sit tractata, praemittendam puto aliam observationem de Psammetichi stipendiariis, quos mythum Graecum in Aegyptum introduxisse et divulgasse perhibet Muellerus. Narrat enim Herodotus II, 154: „*τοῖσι δὲ Ἴωσι καὶ τοῖσι Καρσὶ τοῖσι συγκατεργασαμένοισι αὐτῷ ὁ Ψαμμήτιχος δίδωσι χώρους ἐνοικῆσαι — καὶ δὴ καὶ παῖδας παρέβαλε αὐτοῖσι Αἰγυπτίους τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν ἐκδιδάσκεσθαι*". Regnavit hic rex ab anno 664° usque ad 610m a. C. n.; stipendiarii eius *Iones et Cares* documentum reliquerunt in colossis apud Abu Simbel positis [1]). Aptos igitur fuisse hos milites, qui ludimagistrorum vice fungerentur, nemo negabit, nam Ionice loquebantur itemque arte legendi et scribendi valebant. Addit vero Muellerus: „mythos quoque Graecos martiales illos magistros docuisse", quod licet negare nolim

[1]) De aetate vid. A. Kirchhoff Stud. z. Gesch. des Griech. Alph.[4] p. 37.

tamen caute accipiendum est, cum de fabulis mediae Graeciae num notum quid habuerint hi milites, valde dubitemus. Validiora sunt, quae de affinitate Augiae cum Hyrieo protulit. Observat enim matrem Augiae Hyrminen fuisse filiam Nyctei, qui ipse Hyrieo patre uteretur; deinde exclamat: „Was kann offenbarer sein, als dass zwischen den Sagen von dem Schatze des Hyrieus und dem des Augeias ein tieferer und in alter Stammverwandschaft begründeter Zusammenhang statt finde." Quae affinitas licet non apud antiquiorem auctorem, sed in scholio ad Apoll. Rhod. I 172 referatur, nimiam vim huic argumento tribuisse Muellerus non videtur.

Sunt qui concedant fabulam de Hyriei thesauro spoliato a Minyis Triphyliae colonis in Augiam fuisse translatum necnon novam viam quaesierint, qua fabulae tralationem e Triphylia in Cyrenen atque inde in Aegyptum satis apte explicare possent. Legimus apud Studniczkam [1]) in libro de urbe Cyrene condita: „Ein deutlicher Zug peloponnesischen Einflusses (sc. in historia tradita de urbis Cyrenes origine) ist es auch, wenn in der Telegonie des Eugammon die altminysche Sage vom Schatzraube des Trophonios und Agamedes nicht auf das Schatzhaus des Hyrieus, sondern auf das des Augeias bezogen wird. Das hat seine Befremdlichkeit verloren, nachdem Svoronos (Gaz. Arch. 1888 XIV p. 257 sqq.) uns belehrt hat, wie ein gut Stück der von Eugammon verarbeiteten Odysseus-sage in Arkadiën heimisch war, und zwar gerade in Mantinea, woher sich die Kyrenäer eine Generation später ihren Gesetzgeber Demonax und wohl auch den Zeus Lykaios holten." Videamus ipsi, rem paulo altius repetentes.

„Procos cum interfeceris, inquit Tiresias ad Ulixem (λ 119 sqq.), remo sumto terram perlustra, donec veneris ad eos, quibus mare, naves, remi plane sint ignota. Dabo tibi certum indicium, nam simulac viator aliquis dixerit ventilabrum humero

[1]) Kyrene eine altgriechische Göttin 1890 p. 120.

te gestare, statim remum in terra infige, suovetaurilia Neptuno offer *ac domum redi, ubi omnibus diis immortalibus qui coelum incolunt sacra facias*".

In Telegoniae autem parte priore — nam Proclo teste erat divisa in libros duos — legimus haec: „Procis interfectis *Ὀδυσσεὺς θύσας Νύμφαις εἰς Ἦλιν ἀποπλεῖ ἐπισκεψόμενος τὰ βουκόλια καὶ ξενίζεται παρὰ Πολυξένῳ δῶρον τε λαμβάνει κρατῆρα καὶ ἐπὶ τούτῳ τὰ περὶ Τροφώνιον καὶ Ἀγαμήδην καὶ Αὐγείαν.* ἔπειτα εἰς Ἰθάκην καταπλεύσας, τὰς ὑπὸ Τειρεσίου ῥηθείσας τελεῖ θυσίας" i. e.: „Deinde Ithacam reversus sacra facit, quae coelicolis offerre Tiresias eum iusserat."

„*Quando* vero", rogat Svoronos, „domum redire et sacrificare debebat? Scilicet, cum hominem invenisset, qui rerum maritimarum prorsus esset ignarus. Quare si iam *nunc* Ithacam reverti et sacra ibi facere potest, necesse est in *Peloponneso* hominem illum invenerit."

Telegoniae igitur priorem partem sic compositam fuisse Svoronos probare studet: „Ulixes procis interfectis Nymphisque placatis navigat in Elidem, ut armenta sua inspiciat; a rege Polyxeno, qui crateram ei dono dat, comiter exceptus, denuo navem ascendit, ut Lebadeae Trophonium consulat, ubinam terrarum hominem rerum maritimarum ignarum inventurus sit. Trophonii iussu in Arcadiam ad Agamedem Stymphali regem reversus, invenit ibi hominem quaesitum; Neptuno sacrificat, dein Ithacam redit, sed in itinere apud Augiam devertitur. Post haec Tiresiae monitorum bene memor, omnibus diis sacrificia offert".

Ad hanc explicationem stabiliendam affert v. d. nummum quendam Mantineae, cuius imaginem interpretari numismatici hucusque frustra tentarant. Percy-Gardner [1]) autem sic eum describit: „male figure, bearded, wearing pileus, short chiton girt up and boots with long ends turned up, holds in eather hand javelin. Described as a fisherman by Imhoof [2]). This description

---

[1]) Catal. Greek Coins Pelop. p. 184, 6. Exstat exemplar huius nummi Hagae Comitis in pulchra collectione Bibliothecae Regiae.

[2]) Monnaies Grecques p. 201.

cannot be considered as satisfactory, but a better explanation is not yet found."

Svoronos vero asseverat hominem, qui in nummo cernitur esse Ulixem; vestem insolitam indicio esse heroem modo in Trophonii antrum descendisse, *κεκοσμημένον ἱερῷ σχήματι* [1]); id quod sinistra manu teneat non telum esse sed remum, quem magna vi in terra infigat; calceos denique recurvos esse *ἐπιχωρίας* illas *κρηπῖδας*, quarum Pausanias IX, 39, 8 mentionem faciat. Observat deinde Epaminondam ante pugnam Leuctricam in concionem militum introduxisse virum *ἀπὸ Τρωφονίου προσφάτως ἀναβεβηκότα*, qui diceret, *ὅτι νίκην δίδωσι ὁ θεὸς τοῖς ἄρχουσι τῆς μάχης* [2]). Mantineenses igitur, cum Lacedaemonii ad Leuctra essent profligati et ipsorum urbs denuo aedificaretur, haud dubie novum nummum cudisse, in quo gratos se Trophonio significarent. Hanc ob rem in nummo imaginem Ulixis videri expressam, qui et ipse — ut a maioribus accepissent — antiquitus eodem deo monente in Arcadiam venisset.

Specie huius disputationis abreptus Studniczka l. l. pronuntiat: „Svoronos nos *docuit* Ulixis iter in Peloponnesum (et cum eo historiam Augiae, priorem igitur Telegoniae partem) per Peloponnesum divulgatum ac praecipue Mantineensibus notum fuisse." Ex Herodoto autem (IV, 161) cum appareat commercium fuisse inter Cyrenaeos et Mantineenses, inventam esse viam, qua fabula de rege Augia in urbem Cyrenen atque inde in Aegyptum translata fuerit, v. d. credit.

Sed multa obstant, quominus huic argumentationi fidem habeam. Nam quod Ulixes perhibetur ad Trophonium iter fecisse, in Arcadiam rediisse, commoratus esse apud Agamedem Stymphali regem et apud Augiam Eleum — dudum opinor vita functum, quippe cuius gener Molius a Nestore *adolescente* interfectus esset — ea omnia provenerunt ex infelici inter-

---

1) Cf. Suid. s. v. *Τροφώνιος*.

2) Diod. Sic. XV, 58; Polyaen. Strat. II, 3, 8.

pretatione Procli verborum male distractorum. Verba enim *„καὶ ξενίζεται παρὰ Πολυξένῳ δῶρόν τε λαμβάνει κρατῆρα καὶ ἐπὶ τούτῳ τὰ περὶ Τροφώνιον καὶ Ἀγαμήδην καὶ Αὐγέαν"* vertit Svoronos: „Ulixes hospitio Polyxeni utitur, crateram ab eo dono accipit, *deinde* sequuntur (scil. in Telegonia) *itinera herois ad Trophonium, ad Agamedem.*" Quidni vero significent: „Ulixes accipit crateram, deinde sequitur in Telegonia narratio de Trophonii dolis, qualem ab aliquo Demodoco Polyxeni in regia cantatam esse fingit poeta". [1]) Quod si verum videtur, discimus e Procli verbis, in priore Telegoniae parte fuisse haec: „proci sepulcro conduntur, sacrificat Ulixes Nymphis, in Elidem proficiscitur ad armenta sua visenda, hospitio excipitur a Polyxeno rege, qui Eleorum ad Troiam dux fuerat, dono accipit crateram, *audit* Trophonii fabulam; denique revertitur Ithacam, ubi Tiresiae mandata exsecutus omnibus caelicolis sacrificat." Plura equidem ex Procli verbis efficere nequeo; nil ibi invenitur de Ulixis in Arcadiam itinere, nil de navigatione ad Trophonium. Concidit igitur maior pars explicationis, quam Svoronos de nummo Mantineensi praebuit. Nam ut explicet, cur potissimum *Ulixes* in nummo illo sit depictus, e Telegonia efficit Ulixem iter in Arcadiam ad regem Stymphali fecisse; porro, ut vestis insolitae, qua homunculus in nummo est indutus, rationem reddat, ex eadem Telegonia probare studet, Ulixem ad Trophonium profectum esse atque sacra veste amictum [2]) in Arcadiam venisse. Sed, cum iam satis constet Ulixem neque Trophonium consuluisse neque inde rediisse in Arcadiam, fulcra quibus Svoroni explicatio nititur concidunt. Nummus laudatus imaginem praebet obscuram, mira veste, calceis insolitis, capitis tegumine extraordinario ornatam, quae

---

[1]) Apollodori fragmenta Sabbaitica et Vaticana (vid. ed. Wagn. Bücheler Mus. Rhen. Vol. XLVI p. 161—192), cum iter in Elidem *non* contineant, hac de quaestione nil nos docere possunt. Iniuria igitur E. Meyer (Hermes XXX p. 260) haec fragmenta testes in indicium vocavit.

[2]) Paus. IX 39, 8: *„ταινίαις τὸν χιτῶνα ἐπιζωσθεὶς"* i. e. vestes taeniis *cinctas* non succinctas induebantur Trophonium adituri; quare Max. Tyr. diss. 14, 2 loquitur de *ὀθόνῃ ποδήρει.* Vid. Deubner de Incubatione p. 25.

sine temeritate pro Ulixe accipi nequit [1]). Neque satis intellego, quid Mantineensibus quarti saeculi cum Ulixe esse potuerit; cur eum potissimum post urbem restitutam nummis suis insculpsisse credantur, et praesertim tali veste indutum; nam, ut vidimus, episodium de pugna Leuctrica οὐδὲν πρὸς Ὀδυσσέα. Ad quam rem explicandam minime sufficiunt, quae refert Pausanias, sepulcrum Penelopes Mantineae fuisse [2]), Ulixem autem aliquando Pheneum venisse et Aseae templum Minervae ac Neptuno sospitatoribus condidisse [3]). Nam Ulixem in Arcadia ut alibi notum fuisse non nego. Sed non fuit, si quid video, Augiae fabula ab initio coniuncta cum Ulixis erroribus; sero demum tempore nexu laxiore cum Ulixe est coniuncta et ab eo quidem, qui primus

---

[1]) Iniuria Percy-Gardner vestem nuncupat „short-chiton girt up"; est minime *tunica succincta*, sed formam praebet illius vestimenti, quod saltatrices nostrae in theatris gerunt. Calcei vero iis sunt subsimiles, quos Cicero De Nat. Deor. I, 29 *repandos* vocat. (Vid. Chéruel). Remum num sinistra teneat valde dubito. Cf. Langium in libro qui inscribitur „Von Rom nach Sardes", p. 188 de Demetrio duce suo ita loquentem: „Ein breiträndiger Strohhut diente ihm als Kopfbedeckung, während er im übrigen die kleidsame Tracht der Albanesen, die Nationaltracht der Neugriechen trug: eine dicke Bauernweste über dem weitärmligen weissen Hemd, enganliegende Hosen und Schnabelschuhe. Ein mehrschichtiger Ledergürtel umschlosz wulstig wie ein Kummet seine Hüften; unter diesem hing ein feingefältetes, weissleinenes Röckchen, die Fustanella der Griechen, zierlich wie das kleid einer Balletteuse bis auf die Kniee herabwallend."

[2]) VIII 12, 9. — E. Meyer Hermes XXX p. 264: „Die Heimath Penelopes ist ja nach der Sage zwar nicht Arkadiën, aber das benachbarte von Arkadischen Culten und Mythen stark durchsetzte Lakoniën. In Sparta ist sie geboren, hier lebt ihr Vater Ikarios, hier freit sie Odysseus (Paus. III, 12, 1—4) In unserer Odyssea ist das verdunkelt, sie nennt zwar Penelopes Vater Ikarios oft genug, aber wo seine Heimath ist sagt sie nicht, oder vielmehr, sie denkt sich ihre Eltern auf Ithaka wohnend. Daran haben denn auch schon die Alten Anstoss genommen; sie wundern sich dass Telemach in Sparta seinen Grossvater Ikarios und seinen Oheim nicht besucht, dass Eumaeus ξ 68 der Helena, der Base seiner Herrin flucht."

[3]) VIII, 44, 4. — E. Meyer p. 263: „In Arkadiën besteht überall der Poseidoncult in voller Blüthe. Dass ist so auffallend, dass es auf die Vermutung führt, der Arkadische Poseidon, der rossgestaltige Gott der Stiere und Pferde, der Gemahl der Erdgöttin, sei ursprünglich nicht, oder wenigstens nicht ausschlieszlich, der Meergott gewesen." Ita est.

Ulixis in Elidem iter fusius tractavit. Is fuit Eugammon, poeta ut videbimus minime ditis ingenii, sed qui Homerum suum cognorat. Eugammon enim Cyrenaicus bene memor Ulixis verborum ad Penelopen *ψ* 354 sqq.:

κτήματα μὲν, τά μοι ἔστι κομιζέμεν' ἐν μεγάροισι,
μῆλα δ' ἅ μοι μνηστῆρες ὑπερφίαλοι κατέκειραν,
πολλὰ μὲν αὐτὸς ἐγὼ ληίσσομαι, ἄλλα δ' Ἀχαιοὶ
δώσουσ' εἰς ὅ κε πάντας ἐνιπλήσωσιν ἐπαύλους,

nec oblitus Noemonem *δ* 635 sq. inter procos dixisse:

χρηὼ δ' ἐμὲ γίγνεται αὐτῆς (navis)
Ἤλιδ' ἐς εὐρύχορον διαβήμεναι, ἔνθα μοι ἵπποι
δώδεκα θήλειαι κ.τ.λ. [1]

hoc iter Ulixis in Elidem cecinit [2], praemissis precationibus ad Nymphas, quas heros spoponderat *ν* 356—360, adiecto hospitio Polyxeni Eleorum ducis e catalogo (*B* 615—624) noti. Simul adiunxit descriptionem craterae, quam Polyxenum Ulixi dono dedisse finxit, ut Menelaus Telemacho *δ* 615 sqq. offert κρητῆρα τετυγμένον Ϝέργον Ἡφαίστοιο. Inserto vero carmini, quod cantat poeta aulicus, argumentum selegit furtum Augiae thesauri a Trophonio cum fratre commissum. Immensae opes Augiae ex armentis praesertim agrisque constantes apud omnes Graecos inde ab Homeri temporibus (*Λ* 698) erant notae, labore quoque Herculis in stabulis Augiae purgandis consumpto ubique divitiae Elidis regis inclaruerant. Cui rei accedit, quod iam apud Homerum nomen Agamedis cum Augiae nomine fuit coniunctum; nam filia celeberrimi regis ibi audit „Agamede"; quinimo ut ultima dubitatio tollatur, ne patria quidem regis Agamedis, Augiae inimici, diu erat quaerenda, cum Stymphali in urbe Arcadiae Agamedis nomen in serie regum appareret. Huic autem nulla opera Trophonius filius σκότιος adiungi poterat. Quid mirum igitur in urbe Cyrene, quae commercium cum Peloponneso habebat, poetam tale episodium composuisse, cuius vestigia servavit Charax? Adhibebat in componendo fabellas in

[1]) Cf. *ω* 426. [2]) Cf. Paus. VII, 14, 4.

Triphylia et Arcadia vulgatas; coniunxit vero argumenta Stymphalia et Triphylica praesertim duce usus Homero.

Quae disputatio maiorem etiam probabilitatem obtinebit si haec pauca subiunxero. Dissidio orto inter Dores et Minyas Theram insulam incolentes, hi Cretensibus nautis ducibus usi circa annum 630 a. C. n. Cyrenen condiderunt. Tertius rex Battus II Eudaemon Graecos invitavit, ut in regione Cyrenaïca considerent, ubi agros se iis assignaturum spopondit; cuius consiliis cum oraculum Delphicum enixe faveret, magna vis colonorum e Peloponneso, Creta, aliis insulis, Cyrenen immigravit. Mox ortum est bellum cum Aegypto, quoniam Battus, ut omnibus peregrinis satisfaceret, Libyam spoliabat; sed cum anno 570 Aegyptii essent profligati, milites tumultuantes ducem suum Amasin regem salutarunt. Qui quomodo Cyrenaeis amicis usus sit, uxorem Cyrenaicam Ladicam nomine duxerit, ex Herodoto (II, 181) notum est.

Regnantibus autem Batto II eiusque filio Arcesila II vixit Eugammon, qui quantum scimus, Telegonia carmine τῷ ἐπικῷ κύκλῳ finem imposuit; hic enim cyclus continuabatur in Procli chrestomathia μεχρὶ τῆς ἀποβάσεως Ὀδυσσέως τῆς εἰς Ἰθάκην ἐν ᾗ καὶ ὑπὸ παιδὸς Τηλεγόνου ἀγνοοῦντος κτείνεται [1]).

Eugammonis opus a viris doctis cum contemptu tractari solet, utpote carmen sero natum; cui tamen sententiae subscribere nequaquam possum. Non quod Cyrenaeum poetam eum fuisse credam, qui merito inter priscos illos vates locum suum sibi vindicare possit; quid enim pro fragmentorum inopia de eius poesi iudicare licet? Neque quod e parvis Procli indiciis imaginem operis ab omni parte rotundi ac bene compositi pellucere putem; immo, contrarium defendere malim. Neque quod nesciam poetam nostrum dimidio plus totius materiae ab aliis esse mutuatum, ne gravius quid dicam. Sed quemadmodum in eius patria est ortum hominum *mixtum* genus, cum Graeci se coniungerent cnm puellis Libycis, quae

---

[1]) Phot. 239 p. 319 Bekk.

οὔθ' ἱστῶν παλιμβάμους ἐφίλησαν ὁδούς,
οὔτε δείπνων οἰκοριᾶν μεθ' ἑταιρᾶν τέρψιας,
ἀλλ' ἀκόντεσσίν τε χαλκέοις
φασγάνῳ τε μαρνάμεναι κεράϊζον ἀγρίους θῆρας

quemadmodum vasa Cyrenaica, e. g. patera illa Arcesilae quam Welckerus ob singularem picturae festivitatem pro „caricatura" habebat, graeca argumenta libycis mixta praebent, sic ars poetica ibi non sinceros protulit fructus, sed *mixtum* quoddam genus, tam Graeciam quam Aegyptum sapiens. Huius autem speciei exemplum offert Eugammonis Telegonia, carmen quod iure Cyrenaei cultus imaginem voces.

Similem narrationem de vafris furibus regem opulentum decipientibus in Aegypto quoque exstitisse, quid vetat? Fortasse id ipsum poetam Cyrenaeum incitavit, ut priscam fabellam graecam tractaret. Sunt quidem, qui putent fabulam via versa ex Aegypto in Graeciam esse illatam, puta ab Eugammone, et primum quidem eam coniunctam esse cum Augia deinde cum Hyrieo, sed quod in fabella aegyptiaca merus videtur iocus popularis id in narratione graeca altiorem prodit sensum. Nam Trophonius, qui Hyriei regis gazam reconditam in lucem trahit, deus est, qui agricolis fertilem pluviam implorantibus illa cuncta recludit, quae Dionysus Hyriae numen ditissimum terrae in gremio hominibus coacervata servat. Imbuta est fabula graeca illis coloribus, qui fulgent in sacris historiis temporum antiquissimorum.

Quod vero ad finem Telegoniae prioris partis attinet, cratera accepta Ulixem rediisse in patriam, ut sacrificia a Tiresia mandata omnibus coelicolis offerret, nonne cum Svorono inde efficiemus Ulixem in Arcadia vel in Elide, certe in Peloponneso invenisse hominem illum rerum maritimarum plane ignarum? Haud dubie; inspiciamus modo quae Eugammon in parte altera carminis sui narravit. Vocatur haec pars „Thesprotis", cum Ulixis iter in Thesprotiam contineat. Quo de libro mirum testimonium invenimus apud Clementem Alexandrinum Strom. VI, 751: „*Εὐγάμμων ὁ Κυρηναῖος ἐκ Μουσαίου τὸ περὶ Θεσπρωτῶν βιβλίον*

ὁλόκληρον ὑφελόμενος ὡς ἴδιον ἐξήνεγκεν." Compilavit igitur Cyrenaeus, si fides auctori περὶ κλοπῆς scribenti, Musaei librum de Thesprotis, et licet „Clemens in odorandis veterum scriptorum plagiis nimis videatur sagax" [1]), non video, cur nunc quoque Alexandrino omnem fidem derogemus. Caveamus autem ne hic sicut alibi pro Musaeo Onomacriti nomen substituamus [2]).

„Unmöglich, inquit Wilamowitz Hom. Unters. p. 187, kann diese geschichte (loquitur de Thesprotide) in Kyrene entstanden sein. Jedermann sieht, dass sie auf thesprotische localsagen und genealogiën ausläuft. Der dichter der Telegonie muss also seinen stoff, doch vermuthlich in epischer gestalt, aus fremder gegend erhalten haben. Die sage ist offenbar älter als die korinthische besetzung der epirotischen küste. Die Thesproter erhielten die person des Odysseus übermittelt von den vorläufern Korinths: das waren die Chalkidier."

Wilamowitz igitur nucleum Thesprotidis in ipsa Thesprotia natum putat; credit carmen continuisse genealogias i. e. conamina eorum, qui Ulixem a Chalcidicis invectum cum Thesprotorum principum genere coniungere vellent. Videamus autem carminis argumentum:

„καὶ μετὰ ταῦτα (i. e. postquam in Ithaca insula sacrificavit Ulixes ex Elide reversus) εἰς Θεσπρωτοὺς ἀφικνεῖται καὶ γαμεῖ Καλλιδίκην βασιλίδα τῶν Θεσπρωτῶν. ἔπειτα πόλεμος συνίσταται τοῖς Θεσπρωτοῖς πρὸς Βρύγους, Ὀδυσσέως ἡγουμένου· ἐνταῦθα Ἄρης τοὺς περὶ τὸν Ὀδυσσέα τρέπεται, καὶ αὐτῷ εἰς μάχην Ἀθηνᾶ καθίσταται· τούτους μὲν Ἀπόλλων διαλύει. μετὰ δὲ τὴν Καλλιδίκης τελευτὴν τὴν μὲν βασιλείαν διαδέχεται Πολυποίτης Ὀδυσσέως υἱός, αὐτὸς δ' εἰς Ἰθάκην ἀφικνεῖται· κἀν τούτῳ Τηλέγονος ἐπὶ ζήτησιν τοῦ πατρὸς πλέων, ἀποβὰς εἰς Ἰθάκην τέμνει τὴν νῆσον· ἐκβοηθήσας δ' Ὀδυσσεὺς ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἀναιρεῖται κατ' ἄγνοιαν. Τηλέγονος δ' ἐπιγνοὺς τὴν ἁμαρτίαν τό τε τοῦ πατρὸς σῶμα καὶ τόν Τηλέμαχον καὶ τὴν Πηνελόπην πρὸς τὴν μητέρα μεθίστησιν· ἡ δὲ ἀθανάτους ποιεῖ, καὶ συνοικεῖ τῇ μὲν Πηνελόπῃ Τηλέγονος, Κίρκῃ δὲ Τηλέμαχος".

---

[1]) Verba sunt Lobeckii Agl. p. 310.

[2]) Cf. Paus. I, 22, 7.

Duas diversas fabulas hic esse coniunctas, quarum altera ipsam Thesprotidem, altera Ulixis mortem contineat, nemo negabit; iunctura autem cernitur ante verba *αὐτὸς δ' εἰς Ἰθάκην κ. τ. λ.* Patet antiquum Musaei carmen, quod Eugammon compilasse vel imitatus esse dicitur, priorem modo fabulam continuisse; hanc, si quid video, Cyrenaeus poeta, ut fuit veterum poematum consartor, post Ulixis expeditionem in Elidem sed ante herois mortem interiecit. Unde sequitur Telegoniae partem principalem non, ut quidam putarunt [1]) fuisse Thesprotidem illam surreptam atque interiectam, sed ut ipsum nomen carminis indicat, *Ulixis mortem a Telegono filio illatam.*

Eugammon, ut supra vidimus, argumentum itineris in Elidem non de suo excogitavit, sed Homeri indicia est secutus neque usquam a duce suo deflexit, nisi quod Augiae historiam addidit. Hanc rationem anxie observatam tunc quoque adhibuit cum Thesprotidem interponere vellet. Homerus enim pergit λ 135 sqq.:

θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ
ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ
γήρα' ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον,

i. e.: homine illo invento, sacrisque omnibus deis oblatis mors tibi continget *senectute confecto.* Ulixes autem ex Elide Ithacam reversus nequaquam *senex* nedum *senex confectus* vocari poterat. *Hosce igitur annos* i. e. spatium temporis inter hominem *ἀθαλάττευτον* inventum et Ulixis mortem, Eugammon Thesprotide explevit.

Ubi igitur Ulixes hominem illum *secundum Eugammonem* invenit? In Elide, ut quivis videt. Quod et hoc modo demonstrari potest: locum huic episodio praebebat vel *finis* itineris in Elidem vel *finis* expeditionis in Epirum. *Initio* vero huius expeditionis aptum non erat, nam homine illo invento Ulixi *statim* Ithacam erat redeundum, ut sacrificaret omnibus coelicolis; *permultos* autem annos, ut Proclus narrat, in Epiro degit heros. *Finine* autem itineris Epirotici erat aptum? Sed neque e

---

[1]) Welcker Ep. Cycl. II 302.

Proclo id effici potest neque verisimile videtur Ulixem Thesprotorum imperatorem et regem ventilabro armatum regnum suum perlustrasse. Contra, nisi in Elide hominem illum invenit, non video quomodo Procli verba „ἔπειτα (i. e. ex Elide) εἰς Ἰθάκην καταπλεύσας τὰς ὑπὸ Τειρεσίου ῥηθείσας τελεῖ θυσίας" explicari possint. Restat modo ut statuamus *Eugammonem* episodium illud in Elide collocasse.

Videtur autem exstitisse mythus, quo Ulixes hominem ἀθαλάττευτον in Thesprotia invenisse ferretur.

Eustathius ad λ 122 sqq. rogat: „τίνες δ' ἂν εἶεν οἱ μὴ εἰδότες Ποσειδῶνα"? et addit: „οἱ δὲ παλαιοὶ βαρβαροφώνους τόπους (MSS. δούπους) ἱστοροῦσι, Βουνίμαν λέγοντές τινα ἢ Κελκέαν ἐν οἷς Ὀδυσσεὺς τὸν Ποσειδῶνα ἐτίμησε".

Steph. Byz. s. v. Βούνειμα: „πόλις Ἠπείρου οὐδετέρως, κτίσμα Ὀδυσσέως, ἣν ἔκτισε πλησίον Τραμπύας, λαβὼν χρησμόν, ἐλθεῖν πρὸς ἄνδρας οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν· βοῦν οὖν θύσας, ἔκτισε" [1]).

Tzetzes ad Lycophr. Alex. vs. 791: „Τράμπυια πόλις Ἠπείρου, ἔνθα μετὰ νόστον Ὀδυσσεὺς ἀπῆλθε, καθὰ καὶ Ὅμηρος γράφει κ. τ. λ. ἐτιμᾶτο δὲ ἐν τῇ Τραμπύῃ καὶ ὁ Ὀδυσσεύς".

Paus. I, 12, 5: „Ἠπειρῶται, οἳ μηδὲ ἁλούσης Ἰλίου θάλασσαν οἱ πολλοί, μηδὲ ἅλσιν ἠπίσταντό πω χρῆσθαι. μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ Ὁμήρου ἔπος ἐν Ὀδυσσείᾳ κ. τ. λ."

Ubi hic mythus plenior inveniretur nescimus, sed omnes auctores, qui Ulixis iter Eleum omiserunt ad mythum antiquum reverterunt. Sic in Epitoma Sabbaitica, ubi de Ulixis in Elidem itinere *nulla* fit mentio, heros procis interfectis *statim* per Epirum ad Thesprotos proficiscitur, ubi de Tiresiae mandatis Neptuno sacrificat. Neque me fugit E. Meyerum asseverare Apollodorum τὰ ἐν Ἤλιδι fortuito transiisse, sed tale argumentum ex silentio paucos, opinor, inveniet admiratores. Apollodorus haud dubie sub oculis habuit non Telegoniam sed Thesprotidem illam, quam Sophocles tragoedia sua divulgavit.

Rectissime vero Svoronos l. l. e Procli verbis effecit Ulixem

---

[1]) Bunima, ut monet Wilam., apparuit in lapide dodonaeo. Cauer del. 247.

antequam τὰς ὑπὸ Τειρεσίου ῥηθείσας θυσίας ἐν Ἰθάκῃ ἐτέλεσε, hominem maritimarum rerum ignarum *iam repperisse.* Hac tamen in re erravit, quod in Arcadia id factum esse putabat, nimio scilicet ardore hypothesin suam de nummo Mantineensi defendere conatus. Profectus est Ulixes secundum Proclum in Elidem; de longinquiore itinere nil audimus; ex Elide in patriam rediit; invenit hominem suum antequam Ithacam revertit: ergo *in Elide* τὸν ὁδίτην offendit. Ita voluit non Homerus sed Eugammon Cyrenaeus.

Nunc Ulixis iter in Thesprotiam, quod Eugammon non de suo finxit sed Telegoniae amplificandae causa a Musaeo est mutuatus, propius consideremus. „Heros, Proclus refert, in Thesprotiam venit Callidicenque reginam uxorem ducit. Oritur bellum cum Brygis, qui Marte duce Thesprotos repellunt, licet Minerva his opituletur. Apollo demum finem bellandi facit. Callidice mortua Polypoetes filius Ulixis regnum accipit, heros ipse Ithacam revertitur." Sic poetam aliquem antiquum Ulixis iter in Thesprotiam cecinisse, non est quod miremur. Meminimus enim versuum ξ 314 sqq., ubi heros fallacissimus errores suos Eumaeo describens, audacter casus Thesprotios annectit, quos nunquam passus erat. Hic igitur campus patebat incultus per quem ingenium cuiusdam epigoni libere vagari posset. Admirationem vero movet, quod Ulixis illa expeditio antiquitus sub Musaei nomine circumlata fuerit. Quid Musaeo, ὃς παραλύσεις καὶ τελετὰς καὶ καθαρμοὺς συνέθηκεν (Schol. Ar. Ran. 1030), quid τῷ χρησμολόγῳ, Orphei imitatori (Paus. X, 7, 2), cum Ulixis erroribus, cum carmine epico? Fere semper Musaeus cum Orpheo coniungitur; etiam Platonis tempore venditabantur βίβλοι Ὀρφέως καὶ Μουσαίου καθ' ἃς θυηπολοῦσι; quid igitur Musaeus ediderit nisi libros rituales, expiationes, initiationes, vel κατάβασιν aliquam εἰς Ἅιδου? Paulisper igitur moremur et Thesprotidis argumentum exactius consideremus.

Post mortem Callidices, ut legimus, Polypoetes regnum Thesprotiae in se recepit. Quis fuit ille Polypoetes? Respondet

Proclus, fuisse filium Ulixis [1]). Nos vero Homeri versuum *B* 740, *M* 129 memores scimus eum fuisse Lapitham Pirithoi filium ex Hippodamia ortum [2]); quod confirmat Pausanias (X, 26, 2), qui in Lesches descriptione se vidisse ait Polypoetem Pirithoi filium *δεδεμένον τὴν κεφαλὴν ταινίᾳ, καὶ παρ' αὐτὸν Ἀκάμας ἐστὶν ὁ Θησέως*. Erat igitur Polypoetes origine *Thessalus* [3]). Quaeritur igitur, quomodo Thessalus in Thesprotiam aberrarit.

E loco Pausaniae hucusque, quod sciam, non satis observato huic quaestioni responsum est petendum. Legimus enim Paus. I, 17, 4: „*ἐς δὲ τὴν τελευτὴν τὴν Θησέως πολλὰ ἤδη καὶ οὐχ ὁμολογοῦντα εἴρηται· δεδέσθαι τε γὰρ αὐτὸν λέγουσι ἐς τόδε ἕως ὑφ' Ἡρακλέους ἀναχθείη. πιθανώτατα δὲ ὧν ἤκουσα· Θησεὺς ἐς Θεσπρωτοὺς ἐμβαλών, τοῦ βασιλέως τῶν Θεσπρωτῶν γυναῖκα ἁρπάσων, τὸ πολὺ τῆς στρατιᾶς οὕτως ἀπόλλυσι, καὶ αὐτός τε καὶ Πειρίθους ἥλωσαν, καὶ σφᾶς ὁ Θεσπρωτὸς δήσας εἶχεν ἐν Κιχύρῳ*". Theseus igitur et Pirithous in Thesprotiam invaserunt regis uxorem rapturi; sed a rege capti in vinculis sunt servati. Unusquisque autem recordatus, quomodo Theseus quondam cum Pirithoo descenderit ad inferos ut Proserpinam raperet, meminit heroes fuisse vinctos in saxo, ubi Theseus sedisset in aeternum (Verg. Aen. VI, 617) nisi Hercules eum *ἐξέσωσε εἰς φάος νεκρῶν πάρα* (Eurip. Herc. 1222). E quibus apparet iter illud in Thesprotiam nil aliud esse quam *κατάβασιν εἰς Ἅιδου*, vel ut idem aliis verbis dicam, *Thesprotiam* terram fabulosam, remotam, occidentalem antiquis fuisse *regnum Hadis* inferorum regis. Quod si quis adhuc dubitat, evolvat mihi Plut. Vit. Thesei c. 31, ubi leguntur haec: „*αὐτὸς (Θησεύς) δὲ Πειρίθῳ τὴν ὑπουργίαν ἀποδιδούς, εἰς Ἤπειρον συναπεδήμησεν ἐπὶ τὴν Ἀιδωνέως θυγατέρα, τοῦ Μολοσσῶν βασιλέως· ὃς τῇ γυναικὶ Περσεφόνην ὄνομα θέμενος, Κόρην δὲ τῇ θυγατρί, τῷ δὲ κυνὶ Κέρβερον, τοὺς περὶ τὸν Πειρίθουν*

---

[1]) e Callidice scilicet, cum postea in regnum eius successerit.

[2]) Cf. argumentum *τῶν Νόστων*, ubi Polypoetes Troia reversus cum Calchante et Leonteo (*B* 745) Tiresiam sepeliunt. (Kinkel Fragm. Epic. Graec. I ad loc.).

[3]) Wilam. Hom. Unters. p. 212: „Wo ein Heroenname festsitzt in der Genealogie, da hat man den Heros zu suchen." Vide Höfer in Rosch. Lex. s. v.

(i. e. Pirithoum cum Theseo) *οὐ μνηστῆρας ἥκειν, ἀλλ' ἁρπασομένους πυνθανόμενος συνέλαβε, καὶ τὸν μὲν Πειρίθουν εὐθὺς ἠφάνισε διὰ τοῦ κυνὸς, τὸν δὲ Θησέα καθείρξας ἐφύλαττεν*". c. 35: „*ὁ Ἡρακλῆς τὸν Θησέα παρῃτεῖτο. συγχωρήσαντος δὲ τοῦ Ἀιδωνέως λυθεὶς ὁ Θησεὺς ἐπανῆλθε εἰς τὰς Ἀθήνας*".

Quid quod ipse Homerus nunc ad partes vocari potest; apud quem *σ* 79 sqq. Actinous Iro minitatur:

πέμψω σ' ἤπειρόνδε βαλὼν ἐν νηὶ μελαίνῃ
εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων,
ὅς κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέι χαλκῷ
μήδεά τ' ἐκϝερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι,

quos versus si conferimus cum l. l. Plutarchi, apparet regem illum *Echetum* (= qui servat nec remittit), viventem in Epiro, perditorem *omnium hominum*, qui mortales *cani* obicit (*ἀφανίζει διὰ τοῦ κυνός*), nullum alium fuisse quam *Ἀϊδωνέα*.

Quinimo nomina quoque fluminum inferorum antiqui transtulerunt in Thesprotiam teste Pausania I, 17, 5: „*πρὸς δὲ τῇ Κιχύρῳ* (Ephyra) *λίμνη τέ ἐστιν Ἀχερουσία καλουμένη καὶ ποταμὸς Ἀχέρων, ῥεῖ δὲ καὶ Κωκυτὸς ὕδωρ ἀτερπέστατον*". Nam supervacaneum duco ostendere, quomodo intellegi debeant, quae addit bonus periegetes: „*Ὅμηρός τέ μοι δοκεῖ ταῦτα ἑωρακὼς ἔς τε τὴν ἄλλην ποίησιν ἀποτολμῆσαι τῶν ἐν Ἅιδου, καὶ δὴ καὶ τὰ ὀνόματα τοῖς ποταμοῖς ἀπὸ τῶν ἐν Θεσπρωτίδι θέσθαι*".

In Thesprotia igitur, i. e. in *regione occidentali*, iam antiquissimi Graeci inferos quaesiverunt; *hinc intellegimus Eridanum quoque* factum esse flumen infernum [1]); hinc *τὴν Λευκάδα πέτρην* (*ω* 11) non solum ob nominis sonum ab antiquis esse quaesitam in *πέτρᾳ λευκῇ τὴν χρόαν προκειμένῃ τῆς Λευκάδος* [2]). Quod igitur fecit Sertorius sub finem rei publicae romanae, cum *τὸ Ἠλύσιον πεδίον* quaerebat in mari occidentali [3]), iam multis saeculis ante cogitabant auctores, qui aliquam *κατάβασιν εἰς Ἅιδου*

---

[1]) Schol. Eurip. Or. 981: „*εἰς τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν κρέμαται ὁ Τάνταλος*". Cf. Verg. Aen. VI, 659.

[2]) Strab. X, 452 A.

[3]) Plut. Sert. 8. Sall. fr. I, 61 Kritz.

pio animo pangebant [1]). In Thesprotiam igitur, i. e. in regionem *occidentalem*, ut mortuos viserent, missi sunt Theseus et Pirithous vel ab Hesiodo, qui cecinit *ὡς Θησεὺς ἐς τὸν Ἅιδην ὁμοῦ Πειρίθῳ καταβαίη* [2]), vel ab incerto auctore [3]), qui Minyadem scripsit *ἐν ᾗ ἐς Θησέα ἔχοντα καὶ Πειρίθουν* [4]). Cum magno exercitu heroes descendisse, ut asseverat Plutarchus l. l., dubium videtur, neque tamen soli ibi erant, nam *καταβάσεων* numerus semper accrescens multitudinem *τῷν ᾀδοφοιτῶν* augebat et vel e paucis Minyadis fragmentis [5]) apparet hoc praesertim carmen copiam descendentium non parum amplificasse [6]). Ideo suspicor tunc temporis Polypoetem quoque, Pirithoi filium, *locum suum inter notos heroes ἐν Ἅιδου degentes obtinuisse*, ita ut Musaeus, cum Ulixis iter in Thesprotiam i. e. *descensum ad inferos* componeret et solito more varios heroes novis genealogiis inter se coniungeret Thessalum iuvenem cum Ithaco coniungere posset. Cum vero Ulixes Ithacam reverteretur, Polypoetes remansit ac remanere debebat, quippe qui certum iam in Orci dicione haberet locum [7]). Nunc quoque intellegimus Callidicen ipsam fuisse Eurydicen.

Bellum denique cum Brygis a Musaei opere fortasse alienum erat. Sed recentior auctor Eugammon, cum Musaei carmen in suum verteret usum, facile adduci potuit ut de perpetuis Thesprotorum cum Thracibus certaminibus aliquid intermisceret; in his quoque Homerum imitatus, qui *N* 302 describit Martem cum Thracibus Ephyris bellum inferentem. Brygos autem, qui Marte

---

1) Cf. Griechische Volksglaube vom Totenreich in Nekyia Dieterich. p. 19 sqq.

2) Paus. IX, 31, 5.

3) Prodico Phocaeo? Cf. Paus. IV, 33, 7.

4) Paus. X, 28, 2.

C. O. Muellerum Orch.[2] I p. 12 iniuria Minyadem et *Ὀρφέως κατάβασιν εἰς Ἀιδου* pro uno eodemque opere habuisse contendit Rohdius Psyche I 302[2].

5) Kinkel I p. 215.

6) Rohdius Psyche I 303 sq.

7) Cum Wilamowitzio, qui credit (credidit?) Polypoetem pro Ptoliporthi nomine irrepsisse (Hom. Unters. p. 188), non facio, neque Höfer, alii (R. L. i. v.).

duce pugnant, fuisse Thraciam gentem magna cum probabilitate coniecit Wilamowitz [1]).

Ad summam, vidimus Eugammonem, ut Ulixis annos posteriores rebus gestis expleret, adhibuisse Musaei *κατάβασιν εἰς Ἅιδου*, quae ob causas supra expositas vulgo dicebatur *Θεσπρῶτις*; Clementem autem Alexandrinum optimo iure Eugammonem furti accusasse [2]), nisi quod vocem „*ὁλόκληρον*" melius omisisset. Transeamus igitur ad partem tertiam Telegoniae, ubi Ulixis finis tragicus narratur.

Proclo teste Ulixes e Thesprotia Ithacam revertitur. Interea Telegonus patrem quaerens in insulam escendit, ubi Ulixem agros suos a populanti advena defendere conatum inscius interficit. Sceleris autem nefarii conscius factus patris cadaver, Telemachum, Penelopen secum ad matrem Circen abducit, quae immortales eos reddit. Deinde Penelope Telegono nubit, Circe vero Telemacho.

Statim adiiciam e scholio Eustathii ad *π* 118 hasce observationes: „*ὁ δὲ τοὺς Νόστους ποιήσας Κολοφώνιος* (?) [3]) *Τηλέμαχον μέν φησι τὴν Κίρκην ὕστερον γῆμαι, Τηλέγονον δὲ τὸν ἐκ Κίρκης ἀντιγῆμαι Πηνελόπην*", e quibus fortasse efficere licet coniugia illa non esse excogitata ab Eugammone, sed fuisse inventum *prioris* aetatis. Deinde: „*ὁ δὲ τὴν Τηλεγόνειαν γράψας Κυρηναῖος ἐκ μὲν Καλυψοῦς Τηλέγονον υἱὸν Ὀδυσσεῖ ἀναγράφει ἢ Τηλέδαμον, ἐκ δὲ Πηνελόπης Τηλέμαχον καὶ Ἀρκεσίλαον*" [4]).

„Nomen *Τηλέδᾱμος* epico versu dici nequit, levi manu mutatur in *Τηλέδαπος*", sic Wilamowitz l.l. p. 183. Sed quidni *Τελέδᾱμος*, quod nomen exstat Paus. II, 16, 6, ubi sic vocatur Cassandrae filius, heros ex epico quodam carmine. Lapsus mihi videtur, quod Telegonus *vel* Teledamus hic vocatur non *Circes* sed Calypsus

---

[1]) l.l. p. 187. Kretschmer Einl. p. 229.

[2]) Vid. Diels, Fragm. Vorsocrat. 497, 6.

[3]) Cf. Proclum: „*συνάπτεται δὲ τούτοις τὰ τῶν Νόστων βιβλία ε' Ἁγίου Τροιζηνίου*".

[4]) Arcesilae nomen addidit Eugammon ut Cyrenaeorum regum genus exquisite honoraret.

filius. Cum vero Circes filium *duo* nomina in epico carmine habuisse non sit verisimile, credo *ἤ* mutandum esse in *καί*, ita ut tam Circe quam Penelope altero donetur filio.

Restat ut de Ulixis morte nonnulla observemus:

Verba Homeri sunt, λ 134 sqq.:

θάνατος δέ τοι ἐξ ἀλὸς [1]) *αὐτῷ*
ἀβληχρὸς [2]) *μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ*
γήρα' ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον· ἀμφὶ δὲ λαοὶ
ὄλβιοι ἔσσονται.

Si Telegonia, si omnes fabulae de Ulixis interitu plane nobis essent ignotae, quale mortis genus expectaremus? Quem finem Homerum heroi suo post tot labores et errores destinasse inter omnes, nisi qui sensu poetico prorsus essent destituti, conveniret? Nulla mora unusquisque exclamaret: „mortem placidam, lenem: cum in ea sola lectoris animus acquiescere possit.'' Quid si Homerus *τὸν πολύτλητον*, qui tot pericula et aerumnas exantlasset ut inter suos quietus reliquam vitam degeret, ab ipso filio trucidari cecinisset? Taedii pleni ad unum omnes carmen e manu eiiceremus; nam licet et vita cottidiana et theatrum hodiernum nos doceant, improbum non semper puniri, probum saepe merito praemio privari, carmen epicum, quo describuntur res non ita ut *sunt*, sed quomodo poetae imaginatio eas sibi *proponit*, exigit ut ignavus spernatur, fortis celebretur, heros in certamine cadat vel victor merita quiete fruatur, ita ut iuniores rebus fortibus narrandis ac depingendis ad facta non minus fortia excitari possint. Et velut diem laboris et dimicationis plenum sequuntur *ἀναθήματα τῆς δαιτὸς καὶ ὕπνος γλυκύς*, sic tranquilla senectus obitusque placidus finiunt herois vitam laboriosam. Quod si ipsae res gestae dulce illud epici somnium

---

1) *ἔξαλος* una voce Herodianus cf. *ἔφαλος*.

2) *ἀβληχρός* cl. Θ 178 significat „debilis, lenis'': sic iam Eustathius ad λ 134: „*ἀβληχρὸς δὲ θάνατος ὁ ἀσθενὴς καὶ ἠρεμαῖος διὰ τὸ ἄνοσον, ὁποῖος ὁ ἐν γήρᾳ μάλιστα λιπαρῷ*''. Est mors qua quis exstinguitur omni dolore et agonia vacuus''.

E. g. sic mortuus est Menelai gubernator Phrontis (γ 280) quem Apollo: „*Ϝοῖσ' ἀγανοῖσι βέλεσσιν ἐποιχόμενος κατέπεφνε*''.

perturbant, herois mortem extra bellum vi nefaria allatam paucis sed *moestis* verbis refert [1]; nam amplae huiusmodi descriptiones tragicorum sunt, adversam hominum fortunam, vanas spes, inanitatem vitae nobis ante oculos ponentium. Cuiusmodi moeroris cum in Homeri verbis laudatis nec vola nec vestigium appareat, statuendum est, Homerum *mortem mitissimam post senectutem curis periculisque solutam inter populum beatum ac prosperum actam heroi suo destinasse.* Nec secus fecit Goethius qui Faustum suum post varios casus et labores a populo industrio ac felici circumdatum, dulcem mortem obeuntem, pulcherrimis versibus cecinit [2]. Et quis verus poeta aliter fecit unquam?

Libenter igitur mea facio verba F. G. Welckeri (Der Epische Cyclus 1835 p. 302): „ein sanfter Tod auszer dem Meere werde dort ihn im Alter, nachdem er unter sich die Völker glücklich gesehen, beschleichen. Diese Voraussagung verbindet sich mit dem Schlusse des Gedichts selbst, der sich auf das Gegenwärtige beschränkt, zum erfreulichsten Ausgang, und irgend etwas Anders als das Glück der gefahrlosen Ruhe auf dem Land und in der Heimat bis zum Lebensende nach langen Gefahren des Kriegs und der Seefahrten, *wusste oder wollte der Dichter der Odyssea nicht.*"

Haec poeta voluit; expressitne quoque suis verbis? In versibus supra allatis nihil est quod tali sententiae adversetur, ne verbum πέφνῃ quidem, quod vel de morte mitissima

---

[1]) Cf. γ 198, δ 91 sqq., λ 404 sqq.

[2]) Faust und Helena sub fin.:

Solch ein Gewimmel möcht' ich sehn
Auf freiem Grund mit freiem Volke stehn.
Zum Augenblicke dürft' ich sagen:
Verweile doch, du bist so schön!
Es kann die Spur von meinen Erdetagen
Nicht in Aeonen untergehn.

C. Crusius Rhein. Mus. 37 p. 311: „nach Tiresias' Weissagung entschlummert Odysseus eines ruhigen Todes als mächtiger Völkerkönig."

a deo immissa adhibetur; cf. p. 211 ann. 2. At verba ἐξ ἁλός?

Negare nullus potest verba: „θάνατος ἐξ ἁλὸς ἀβληχρός ἐλεύσεται" significare non posse: „mors mitis e mari veniet." Nam quae est mors illa, quae e fluctibus aliquem arripit et tamen suavis audit? Num forte si κῆτος ἐπισσεύῃ μέγα δαίμων ἐξ ἁλός (ε. 422)? Num si quis aestu mergitur; si piratae te trucidant; si ipse filius e mari veniens inscius te perimit? Estne θάνατος ἀβληχρός? Immo omnis mors e mari vehemens est. Quid igitur? Perperam, credo, verba ἐξ ἁλός cum ἐλεύσεται coniungi solent. Veram viam poeta indicat structura τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ, ubi ἐξ ἁλὸς inter τοι et αὐτῷ posita sunt. Quid sibi vult illud αὐτῷ? Oppositum est τοῖς ἑταίροις. His mors venit in itinere maritimo cum essent, heroi ipsi cum extra mare sit obveniet. Arcte igitur coniungantur verba τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ, licet forte durius videatur.

Quid enim verisimilius quam Tiresiam voluisse: „si Neptunum perpetuum adversarium sacrificiis placaris, *nullum e mari periculum* tibi postea erit timendum?" Sin vero intellegimus *e mari* Ulixi mortem esse venturam, primo syntaxis offenditur, cum locus ipse vocabulorum ἐξ ἁλός positorum inter τοι et αὐτῷ indicet ea *non* cum verbo ἐλεύσεται sed cum τοι αὐτῷ esse coniungenda; deinde Homero obtruditur dictio pythica, quae prorsus a lingua eius nativa est aliena, nam *cur* non addidisset, quid illud periculum foret; tertio parum apte Ulixi promittitur *lenis mors*; quarto ineptissimum fit sacrificium Neptuno oblatum. Immo, prorsus mente captus fuisset sapiens Tiresias, si ita esset locutus: „si tandem aliquando maris pericula effugeris, iterum tibi erit vagandum, donec in locum ubi Neptunus hominibus est ignotus, cultum eius introduxeris. Quod si feceris et sacra deo placando idonea ei obtuleris .... nefanda mors ex ipso mari tibi erit exspectanda."

Certissimum igitur habeo Homerum de morte violenta Ulixi a filio illata, nedum de radio raiae pastinacae, omnino non cogitasse. Tunc demum intellegimus quietum responsum Penelopes ψ 285, quae postquam Ulixes Tiresiae dicta ei rettulit, suaviter observat:

„εἰ μὲν δὴ γῆράς γε θεοὶ τελέουσιν ἄρειον,
Ϝελπωρή τοι ἔπειτα κακῶν ὑπάλυξιν ἔσεσθαι" [1]).

Hactenus de Homero. Apud Eugammonem autem Ulixem à Telegono filio esse interfectum, Proclus tradidit. Nihil quidem in Procli chrestomathia inest de radio raiae pastinacae, sed posteri, Hygino excepto (fab. 127), iuvenem tali telo usum fuisse ad unum omnes asseverant; e. g. schol. ad λ 134: „τὸν πατέρα διαχρήσασθαι τρυγόνος κέντρῳ". Ex Aeschyli quoque parodia [2]), qui radium non hastae affixum esse fingit, sed per ardeae alvum in Ulixis caput immittit, efficio hoc telum non fuisse additamentum recentiorum, puta Sophoclis, verum genuinam partem antiquae Telegoniae.

Est quidem opinio admodum vulgata e verbis ἐξ ἁλός perperam explicatis ortam esse illam fabulam de Ulixe a filio crudeliter necato, sed Wilamowitz negat fabulam tam tragicam a recentiore auctore excogitari potuisse. Sunt eius verba haec: „der Sohn im Kampfe mit dem Vater, ahnungslos sein Mörder: das ist der Sage von Hildebrand und Hadubrand von Welcker mit Recht zur Seite gestellt, obwol die Aehnlichkeit keine innerliche ist. Die Gabe der Mutter, der zauberische Rochenstachel verderblich dem Vater, den der Sohn auf der Mutter Geheiss zu suchen auszog: dass ist ein Motiv von so gewaltiger dramatischer Kraft, dass ein Spätling des Epos es nicht erdacht haben kann. Eben so wenig kann es aus einer Erklärung des ἐξ ἁλός herausgeklügelt sein."

Revera argumentum illud patris a filio inscio trucidati, neque ab antiquis alienum erat — ut vel docet Oedipodia —, neque a mythis germanicis [3]). Necnon arbitror nimiam fidem etiam-

---

[1]) Optime igitur schol.: „οὐκ οἶδεν ὁ ποιητὴς τὰ κατὰ τὸν Τηλέγονον καὶ τὰ κατὰ τὸ κέντρον τῆς τρυγόνος.

[2]) Ψυχάγωγοι fr. 275 Wecklein.

[3]) A Welckero et Wilamowitzio comparatur carmen Hildebrandi; scimus autem ibi non patrem a filio sed a patre filium esse occisum.

Utique comparanda est Catrei mors ([Apollod.] bibl. III, 2, 16): „Κατρεὺς γήρᾳ κατεχόμενος ἐπόθει τὴν βασιλείαν Ἀλθαιμένει τῷ παιδὶ παραδοῦναι, καὶ διὰ τοῦτο ἦλθεν

nunc haberi asseverantibus, multos mythos, qui tragicis fabularum materiam praebuerint, ex uno vel duobus Homeri verbis male explicatis fuisse ortos [1]). Fuerunt sane fortes ante Agamemnonem, qui vatem suum invenerunt, licet Homerus de iis sileat, sed fuerunt *res quoque ab heroibus gestae*, quas Homerus non tangit. Sic e fabulis, quae de *πολυτρόπῳ* Ulixe in populi ore vigebant et vivebant, *partem* aliquam in Odyssea sua optimi sed non *unici* poetae posteritati tradiderunt.

Eandem materiem Sophocles tractavit in tragoedia Niptris, quod nomen licet semel tantum apud Suidam et Photium reperiatur, cum alibi tragoedia audiat *Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ* vel *Ὀ. τραυματίας*, vulgo defenditur Ciceronis auctoritate allata, qui Tusc. II 48 docet, Pacuvium Sophoclem imitatum esse in tragoedia *Niptris*. Argumentum hoc est:

Ulixes prorsus incertus de sensu Tiresiae verborum adiit oraculum Dodonaeum rogaturus, quaniam in regione hominem rerum maritimarum ignarum invenire posset. Simul responsum tulit, ut a filio caveret mortem. Homine illo haud dubie in Epiro, fortasse ad montem Oetam, invento Ulixes suis ignotus Ithacam revertitur, sed agnoscitur ab Euryclea, ut in Odyssea est descriptum. Eodem autem die Telegonus missus a matre ut genitorem quaereret tempestate in Ithacam est delatus ibique agros populari coepit. Clamore orto Ulixes cum advena arma confert, qua in pugna graviter a filio inscio vulneratur; saucius deinde domum translatus increpat oraculum Dodonaeum; se enim semper mortem a Telemachi manu exspectantem radio venenato a peregrino pirata in se coniecto laetale vulnus accepisse; quare nemo tam sit ineptus, ut divinis responsis fidem

εἰς Ῥόδον. ἀποβὰς δὲ τῆς νεὼς σὺν τοῖς ἥρωσι κατά τινα τῆς νήσου τόπον ἔρημον ἠλαύνετο ὑπὸ τῶν βουκόλων, λῃστὰς ἐμβεβληκέναι δοκούντων· καὶ μὴ δυναμένων ἀκοῦσαι λέγοντος αὐτοῦ τὴν ἀλήθειαν διὰ τὴν κραυγὴν τῶν κυνῶν, ἀλλὰ βαλλόντων κἀκείνων, παραγενόμενος Ἀλθαιμένης ἀκοντίσας ἀπέκτεινεν ἀγνοῶν Κατρέα". Ecce prorsus idem argumentum: Telegonus quoque Ithacam veniens pro praedone habetur.

[1]) E. g. bellum Teuthrantium non ortum est e verbis *πάλιν πλαγχθέντας* *Α* 59. De qua re vid. Thraemer Pergamos p. 160.

habeat [1]). Advenit Telegonus, fit ἀναγνωρισμός, Ulixes caeca fata sortis humanae lamentatus e vita discedit, quo facto filius moestus ad matrem Circen revertitur.

Secutus sum tam fragmenta Sophoclis quam quae tradiderunt Hyginus, Oppianus, Dictys. Addit Hyginus sub finem fabulae apparuisse Minervam, cuius monitu heros mortuus in insulam Aeaeam sit deportatus, ubi sepeliretur. Eiusdem deae iussu Telegonum Penelopen, Telemachum Circen uxorem duxisse.

Talis vero finis nonnullis, ut mihi, magis Euripideus quam e Sophoclis ingenio videbitur, quare potius credent Sophocleae fabulae exitum fuisse ut apud auctorem Odysseae periochae a Buttmanno editae, cuius ultima sunt verba: „μαθὼν οὖν Τηλέγονος ὅτι τὸν πατέρα ἀνεῖλε, πενθήσας αὐτὸν πικρῶς ἀνεχώρησε τῆς Ἰθάκης".

Utut id est, unusquisque iam observavit de itinere in Elidem nullam apud Sophoclem fieri mentionem; hunc autem de suo vel ex Homero addidisse *oraculum illud Dodonaeum*, quod ut Pythicum illud in Oedipodea, totius tragoediae cardo factum est. Declinavit tragicus a via quam straverat Eugammon, ut pro suo ingenio materiem tractaret.

---

[1]) Audi Oedipodem inscium patris φονέα!

INDEX LOCORUM.

INDEX RERUM.

CONSPECTUS OPERIS.

Apud A. W. SIJTHOFF Lugduni Batavorum (Leiden) prodierunt:

Prof. J. van Leeuwen J.f., Enchiridium dictionis epicae. Partes II... *f* 8.60
———— Aristophanis Vespae. Cum prolegomenis et commentariis.... „ 2.90
———— Aristophanis Ranae. Cum prolegomenis et commentariis..... „ 3.60
———— Aristophanis Nubes. Cum prolegomenis et commentariis..... „ 3.60
———— Aristophanis Equites. Cum prolegomenis et commentariis.... „ 3.60
———— Aristophanis Acharnenses. Cum prolegomenis et commentariis. „ 2.90
———— Aristophanis Aves. Cum prolegomenis et commentariis...... „ 4.25
———— Aristophanis Lysistrata. Cum prolegomenis et commentariis.. „ 2.90
———— Aristophanis Thesmophoriazusae. Cum prol. et comment.... „ 2.90
———— Aristophanis Plutus. Cum prolegomenis et commentariis..... „ 2.90
———— Aristophanis Ecclesiazusae. Cum prolegomenis et commentariis. „ 2.90
———— Aristophanis Pax. Cum prolegomenis et commentariis....... „ 2.90
———— Bloemlezing uit Aristophanes voor Nederl. Gymnasia, met korte inleiding en aanteekeningen. Eerste stuk *f* 1.20, Tweede stuk *f* 1.20, I et II.. „ 2.25
J. van Leeuwen, Carmina Latina. Post mortem poetae collegit filius.. „ 1.90
Prof. H. van Herwerden, Euripidis Helena, recognovit et adnotavit. Accedunt analecta tragica.. „ 2.50
———— Aristophanis Pax, recognovit et adnotavit.
Pars prior (Praefatio, textus cum scholiis metricis et adnotat. critica) „ 3.25
Pars altera (Commentarius et indices)........................ „ 4.90
———— Lexicon Graecum suppletorium et dialecticum .... „ 17.50
———— Appendix ad Lexicon.. „ 6.—
———— Collectanea critica, epicritica, exegetica sive Addenda ad Theodori Kockii opus Comicorum Atticorum fragmenta .... „ 4.80
———— Vindiciae Aristophaneae....................................... „ 2.—
Prof. H. van Herwerden et **Prof. J. van Leeuwen J.f.** Aristotelis quae fertur *ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑ* .... „ 3.60
Prof. J. J. Hartman, De Terentio et Donato commentatio......... „ 3.50
———— Epistola Critica (continens annotationes ad Odysseam)....... „ 2.—
———— De Emblematis in Platonis textu obviis..................... „ 2.50
———— Caroli Lévêque libellus aureus de Plutarcho mentis medico.. „ 1.50
———— Genestetiana, Petri de Genestet carmina selecta........ligat. „ 2.50
———— Decennium Poeticum .... „ 1.30
Prof. K. Kuiper, Studia Callimachea I. De hymnorum I—IV dictione epica „ 3.50
———— Studia Callimachea II. De Callimachi Theologumenis....... „ 2.50
Prof. C. M. Francken, M. Annaei Lucani Pharsalia. Adiecta sunt specimina phototypica Ashburnhamensis, Montepessulani, Vossiani primi. Vol. I (libr. I—V) .... „ 5.—
———— Vol. II (libr. VI—X). Adiectae sunt Lucani vitae antiquae . „ 6.25
Dr. P. C. Molhuysen, De tribus Homeri Odysseae codicibus antiquissimis. „ 2.50
Dr. Jos. Schrijnen, Inleiding tot de studie der vergelijkende Indogermaansche Taalwetenschap.. „ 3.—

ind

14 DAY USE
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED
LOAN DEPT.
This book is due on the last date stamped below, or on the date to which renewed.
Renewed books are subject to immediate recall.

JUN 21 1966 89
REC'D LD FEB 23 '71 -1 PM
MAR 4 1980
REC. CIR. AUG 19 '80

LD 21A-60m-10,'65 (F7763s10)476B
General Library University of California Berkeley


U. C. BERKELEY LIBRARIES
C046761074
